UNIVERSITY OF ILLINOIS
'16 S '14

Programm

womit

zu der auf Dienstag den 14. April 1840 angesetzten

öffentlichen Prüfung der Zöglinge

des

städtischen Gymnasiums
zu Danzig

ergebenst einladet

Dr. Friedr. Wilh. Engelhardt,
Director.

Inhalt:

1. Histor. equit. Roman. libri IV. Vom Oberl. Dr. Marquardt.
2. Schulnachrichten vom Director.

Marquardt.

Danzig,
Druck der Gerhardschen Officin.
1840.

HISTORIAE

EQUITUM ROMANORUM

LIBRI IV.

SCRIPSIT

I. MARQUARDT.

BEROLINI 1840.

IN COMM. T. TRAUTWEIN.

GEDANI,
TYPIS FR. SAM. GERHARD.

CAROLO LACHMANNO

PRAECEPTORI SUO PIE COLENDO

HUNC LIBELLUM

D. D.

I. MARQUARDT.

Qui de equitibus Romanis copiosius disseruerunt, Eybenius, cujus dissertatio inserta est thesauri Sallengeriani Vol. I. et Muhlertus, cujus libellus aliquot ante annos Hildesiae prodiit, eorum alter ex analectis patris sui ICti quondam Spirensis multa quidem non indocte collecta protulit, sed ea neque ordine, quo decebat, disposita, neque iis, quae deerant, aucta; alter neque quantam rem aggrederetur divinasse, neque temporis operaeque satis impendisse tam multiplici quaestioni putandus est. Mihi, quanquam non ignoro, quid hac quaestione, quae conjuncta est cum universa reipublicae Romanae historia, efficiendum fuerit, tamen ea quominus efficerem, praeter rei difficultatem consilium quoque hujus libelli obstitit. Sunt enim aliquot anni, ex quo de rebus Augusti, quae quanta sint obscuritate involutae doctis notum est, quaestionem suscipere coepi, in qua, quum singulae partes per se tractandae ac saepe ad priora tempora redeundum videretur, orta sunt πάρεργα quaedam, inter quae haec est de equitibus Romanis disputatio. In qua, si quae brevius, quam par est, tractata invenies, eorum partem et rei difficultati et virium mearum imbecillitati tribuito, nonnulla consilio aut plane praetermisisse aut alii quaestioni reliquisse me memento. Veluti regum Romanorum historiam, quam vix magnis jam viderem voluminibus contineri, quam brevissime fieri potuit, attigi, in ceteris quoque conjecturis conjecturas refellere supersedi. Nonnullas quaestiones, seculorum erroribus implicatas, his ipsis solutas temporibus reperi, in nonnullis rebus tritissimis commixta cum veris falsa deprehendi. Tam breviter de illis, quam explicate de his nonnunquam dicendum ratus sum, in quo doleo me caruisse Zumptii dissertatione, quae, in Academia regia Berolinensi nuper lecta, lucem, quod sciam, non vidit.

Liber I.
Equites Romani sub regibus.

Cap. I.
Tempus ante Servium.

Civitas Romana antiquis temporibus tribus constitit tribubus, Ramnensibus, Titiensibus, Luceribus eorumque clientibus. Et illi quidem equo merebant, [1]) his exercitus pedester efficiebatur. Itaque, quum vis exercitus esset in equitatu, [2]) factum est, ut Celerum nomine, quod ad equitatum proprie pertinebat, [3]) universus exercitus appellaretur. [4])

Quanquam autem videntur Luceres, de quorum ortu acute disputavit Huschkius de Servio Tullio p. 32. seq., longe recedens a Niebuhrio Vol. I. p. 328. non statim ab initio in senatum recepti esse, tamen equitum tribu tertia eos contineri, omnes hujus rei auctores consentiunt. [5])

---

[1]) Hoc satis ex sequentibus apparebit.

[2]) Usque ad Persei, regis Macedonum, tempora pugnarum fortuna in equitum virtute versabatur multasque hi aut pulso aut trepidante pedite victorias reportarunt. cf. Liv. 2, 65. 3, 62. 3, 63. 4, 38. 7, 7. 7, 8. 9, 39. 10, 14. 22, 49. 39, 31. 40, 40. 42, 61.

[3]) Quae verbo tantum attigi, ea et veteribus et recentioribus magnam controversiarum materiem praebuerunt. Livius enim (1, 15 extr. cf. 1, 13, 8.) et Plutarchus (v. Rom. 26. cf. c. 13. 20.) ita distinguunt ab equitibus Celeres, ut equites in legione meruisse, Celeres ad custodiam corporis a Romulo creatos esse dicant, et Plutarchus, quum nesciat, quid post Romulum de Celeribus factum sit, eorum corpus dissolutum a Numa fuisse tradit. Dionysius contra 2, 13 p. 262. R. utrosque non distinguere videtur. Constituto enim Senatu Romulum dicit armatam juvenum CCC manum ex illustrissimis familiis curiatim elegisse eosque Celeres dictos, modo equitum, modo peditum, ut usus tulerit, vice functos esse. Sed Dionysii error apertus est.

Nam, si Celeres e Curiis nobilissimisque earum gentibus lecti erant, quid tandem illud est, quod *φυλακῆς ἕνεκα τοῦ σώματος καὶ πρὸς τὰ κατεπείγοντα τῶν ἔργων* creati esse dicantur? Quod enim Muhlertus ait §. 3. iis usum fuisse Romulum ad aedificia exstruenda, id, quum per se ineptum est, tum refellitur ab ipso Dionysio, qui quum Tarquinio Superbo summae invidiae fuisse tradat, quod plebem ad opera urbana facienda cogeret, (IV. p. 751.) idem passos esse patricios difficile est ad credendum.

Ex quo etsi intelligi potest, quam recte Niebuhrius Vol. I., p. 366. contenderit, si reges custodes corporis ad hos usus habuerint, eos e clientibus, non e patriciis, constitisse, tamen idem aliunde planius perspicitur. Omnis enim Dionysii de Celerum officio narratio, ut e loco ipso apparet, e nomine eorum petita est, quod qui non cum Valerio Antiate a Celere, duce Celerum, (Dion. 2, p. 263. Lydus p. 128. Bekk.) sed ab adjectivo celer duxerunt, sua quisque ratione interpretati sunt, ut Serv. ad Aen. X. 18. „alii hos Celeres ideo appellatos dicunt, quod explorationes obirent, et quae usus exigeret, velocius facerent.“ Ab his autem, qui *κέλερας ἀπὸ τοῦ τάχους καὶ τῆς ὀξύτητος* dictos esse putarent (Plut. Numa 7. eodemque modo idem Metelli Celeris cognomen explicat Coriol. 11.) tota illa de custodibus regum narratio ficta videtur. Constat enim Celerem i. e. *κέλητα* equitem significare (Muhlert. §. 1. Huschke de Serv. Tull. p. 342.) idque affirmat Festus in Paulli Diac. exc. p. 42 Lind. „Celeres antiqui dixerunt quos nunc equites dicimus.“ Plin. HN. 33, 2. et Paternus libro I. tacticorum ap. Lydum de mag. p. 128. Bekk. qui peditum CCC scutatorum custodiam Romulo tribuit, Celerem autem equitum praefectum fuisse tradit.

[4]) v. Lydus l. l. Huschke de Serv. Tull. p. 28. 30.

[5]) Varro de l. l. V. p. 86. Speng. cf. p. 91. Festus s. v. turma. alii.

Ad hunc trecentorum equitum numerum receptis inter cives Albanis Tullus Hostilius X equitum turmas i. e. alteros trecentos addidit, [6]) iique sexcenti institutis a Tarquinio Prisco Ramnensibus, Titiensibus, Luceribus posterioribus ad mille ducentos redacti. [7])

Hunc numerum agnoscit Cicero de rep. 2, 20. „Sed tamen prioribus equitum partibus secundis additis M et CC fecit equites.“ Sed idem addit: numerumque duplicavit postquam bello subegit Aequorum magnam gentem et ferocem et rebus populi Romani imminentem.“ Quo loco dubitari non posse arbitror de nova et iterata duplicatione equitum loqui Ciceronem, cujus rei caussam fuisse adventum Caelii Vibennae Etrusci, qui postea Servius Tullius dictus est, ostendisse sibi visus est Huschkius p. 42 — 52. Sed hanc rem, cujus unum tantum probabile argumentum est, quod Servius a Dionysio (4, 3. Huschke p. 48.) equitatus nominisque Latini dux fuisse narratur, in medio nunc quidem relinquendum existimavi, ne certis incerta miscerem. Quae enim hucusque de equitibus tradidi, testimoniis certis nituntur, unde, quum ad curias senatumque quaestionem transtuleris, a fide auctorum ad conjecturam res redibit. Ex quibus quaestionibus una tantum huc pertinet. Non dubiis enim argumentis Niebuhrius docuit, neque Luceres, neque Albanos, quive alii postea inter cives Romanos recepti sunt, in Senatum Curiasve statim allectos esse. Cui conjecturae alteram adjunxit Huschkius. Quum enim equites legerentur et e curiis et e gentibus in civitatem recens receptis, hi autem non eodem jure, quo veteres cives essent, concludit, idem, quod inter cives, etiam inter equites fuisse discrimen ut, qui in curiis essent, gravis armaturae, qui recens advenissent, levis armaturae fuerint. Quo refert locum Varronis de L. L. 7, 3. p. 341. Sp. Ferentarium a ferendo, id est inane ac sine

---

6) Liv. 1, 36. Dion. 3, 67. p. 579 et c. 71. Zonar. 7, 6. Valer. Max. 3, 4. Aurel. Vict. 6. De Niebuhrii sententia Vol. I. p. 439 sqq. v. Madvig opusc. p. 75.

7) Haec, quantum in tantis tenebris perspici potest, vera est computatio:

Romulus 300.			
Tullus Hostilius 600.			
Tarquinius Priscus	Ramnenses	pr.	200.
	Titienses	pr.	200.
	Luceres	pr.	200.
	Ramnenses	post.	200.
	Titienses	post.	200.
	Luceres	post.	200.
			1200.

Livius autem, quamvis eosdem numeros habeat (1, 13.)

Romuli Ramnes	(Romanos)	100.
Tities	(Sabinos)	100.
Luceres	(incertos)	100.
		300.
decem turmas Albanorum	(1, 30)	300.
		600.

sic pergit. c. 37, 7. „Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quidquam mutavit, numero alterum tantum adjecit, ut mille et octingenti equites in tribus centuriis essent.“ Qui error Livium induxerit, ut ad hunc numerum, cujus caussa apud ipsum frustra quaeritur, pervenerit, apparet e Plut. v. Rom. 13. 20. sic referentis:

Romani	equites	300.
Sabini	—	300.
Albani	—	300.
		900.

qui numerus duplicatus efficit mille octingentos. In quo Sabini deceperunt Plutarchum, ii enim jam Titiensibus continentur. (Liv. 1, 13.) cf. Huschke de Serv. Tull. p. 42.

fructu, aut quod Ferentarii equites hi dicti, qui ea modo habebant arma, quae ferrentur, ut jaculum. Hujusmodi equites pictos vidi in Aesculapii aede vetere et Ferentarios adscriptos.[8]) Quo loco nihil demonstratur. Sive enim de Romanis equitibus intelligendus est, non certum quoddam eorum genus, sed totus equitatus significatur, quem Ferentariorum olim fuisse diserte testatur Polybius,[9]) sive de peregrino equitatu,[10]) nihil omnino ad rem nostram pertinet. Accedit, quod peditum illud armorum discrimen diversitate census effectum est, in equitibus autem, qui primis temporibus genere, non censu, lecti sunt, posterioribus autem habuerunt eum censum, qui optimo par esset armorum generi comparando, ejusmodi differentiae quae caussa fuerit, prorsus non exputatur. Contra, quum, si qui recens in civitatem non optimo jure recepti essent, ii pedites, non equites fierent, quae Huschkii ipsius sententia est p. 37, non secus atque in Graecis, Italicis, barbaris gentibus, ut una nobilitas, sic unum equitum genus etiam Romae videtur fuisse[11]) ab eoque more non prius recessum est, quam diversis in unum exercitum gentibus conjunctis, mercenariis peregrinisque copiis locus datus esset. Quod a Graecis belli Peloponnesiaci tempore, a Romanis non ante bellum Punicum secundum factum videtur.[12])

---

8) Huschke p. 21. Es gab also ehemals eine leichtere Art von Reiterei, die man ebenso wie das Fussvolk der 5ten Classe ausser der eigentlichen Schlachtordnung gebrauchte, und die gleichfalls ein verfassungsmässiges Organ gebildet haben muss, weil Varro eine Darstellung derselben auf einem Bilde sah.

9) Polyb. VI, 25, 3. Ὁ δὲ καθοπλισμὸς τῶν ἱππέων νῦν μὲν ἐστι παραπλήσιος τῷ τῶν Ἑλλήνων· τὸ δὲ παλαιὸν πρῶτον μὲν θώρακας οὐκ εἶχον, ἀλλ' ἐν περιζώμασιν ἐκινδύνευον. Ἐξ οὗ πρὸς μὲν τὸ καταβαίνειν καὶ ταχέως ἀναπηδᾶν ἐπὶ τοὺς ἵππους ἑτοίμως διέκειντο καὶ πρακτικῶς· πρὸς δὲ τὰς συμπλοκὰς ἐπισφαλῶς εἶχον, διὰ τὸ γυμνοὶ κινδυνεύειν. cf. Lips. de mil. Rom. III. dial. 7. Vol. III. p. 92. ed. Antw.

10) Ut Liv. 43, 4, 7. de Lucretio praetore „tabulis quoque pictis ex praeda Graeca fanum Aesculapii exornavit“ Celeberrimus ex. g. erat Tarentinorum levis equitatus. Strab. VI, p. 280. Aelian. Tact. 2. Steph. Byz. s. v. Τάρας.

11) Non modo Chalcide, Lebadeae, Thebis, Thespiis, Orchomeni, Eretriae, Magnesiae ad Maeandrum aliisque in Graecis civitatibus (v. Wachsm. II. A. I, 1. p. 155.) et postremis etiam libertatis Graecae temporibus apud Achaeos (Liv. 39, 49) equites e primoribus civitatis legebantur, sed etiam Campani equites non modo domi nobiles erant, (Liv. 23, 46, 12. 24, 47. 10, 30. 26, 4.) sed cum nobilissimis Romanorum gentibus affinitate conjuncti. (Liv. 23, 2. 23, 4, 7.) iique ex equitibus Campanis postea equites Romani facti sunt, ut infra ostendam. Eademque conditione sunt Laurentes equites (Liv. 8, 11, 15.) juventus Hernicorum (Liv. 6, 13, 7.) omnes denique socii equites, qui neque sine servo militiam faciunt (Liv. 22, 42, 11.) et in triumphis eadem cum equitibus Romanis dona accipiunt. (Liv. 40, 43, 7. 41, 7, 3. 41, 13 extr.) Hispanorum equites nobiles commemorat Liv. 40, 47.

12) Athenis ut Romae equites erant flos juventutis, sed initio belli Pelop. praeter mille equites Athenienses ducenti erant Scythici ἱπποτοξόται, genus levis armaturae. Sed inter hos stipendia facere civi dedecori erat. v. Böckh. Staatsh. I. p. 284.

Cap. II.

Centuriae equitum a Servio Tullio institutae. [13])

Servius, ut ait Livius 1, 43., pedestri exercitu ornato distributoque equitum ex primoribus civitatis duodecim scripsit centurias. Sex item alias centurias tribus a Romulo institutis, sub iisdem, quibus inauguratae erant, nominibus fecit. Et Cicero de rep. 2, 22.: „(fecit equitum centurias) duodeviginti censu maximo. Deinde equitum magno numero ex omni populi summa separato, reliquum populum distribuit in quinque classes, senioresque a junioribus divisit.“ De quibus locis tria maxime monenda sunt:

1. errasse eos, qui, quoniam Livius de sex antiquis civium partibus, quae ante Servium erant, post eas, quae a Servio institutae sunt, loquatur, has sex a Servio institutas esse dicant. [14]) Nam Festi locum, quem afferunt, [15]) et corruptum esse, neque ullam certam sententiam exhibere et per se patet, et demonstravit Huschkius. [16]) Rem ipsam diserte testatur Livius et l. l. [17]) et 1, 36.: „Neque tum Tarquinius de equitum centuriis quicquam mutavit, numero tantum alterum adjecit, ut mille DCCC equites in tribus centuriis essent: posteriores modo sub iisdem nominibus, qui additi sunt, appellati sunt, quas nunc, quia geminatae sunt, sex vocant centurias.“

2. Quanquam autem et Cicero l. l. et Dionysius [18]) duodeviginti centurias equitum e primoribus civitatis lectas esse tradunt, tamen diu a duodecim centuriis et nomine et jure et dignitatis insignibus sex suffragia distincta fuisse non obscuris quibusdam argumentis colligitur. Nam nomen centuriarum ipsum, ut a primo incipiam, petitum illud a peditibus, ad patricios equites decuriatos non pertinebat, quorum antiquae tribus aut communi VI. suffragiorum aut suo quaeque Ramnensium, Titiensium, Lucerum nomine appellatae fuerunt. [19])

Adde, quod hae suffragia in Comitiis centuriatis separatae a duodecim centu-

---

[13]) Difficile est de Servio brevi dicere, postquam de eo erudutissime et acutissime disputavit Huschkius in eo, quem jam saepius laudavi, libro: „Die Verfassung des Königs Servius Tullius. Heidelb. 1838,“ quem et sequi et refutare aeque impeditum est. Nam quo major est in eo viro et doctrinae copia et ingenii sagacitas, eo magis nonnunquam in illa quaestione Socraticam illam nesciendi artem difficillimam desideramus. Itaque, quamvis multa sint in eo libro egregie disputata, summam tamen totius disputationis haud scio an non pluribus probaturus sit, quam miram illam de bovigo, animali antediluviano, p. 248. sqq. opinionem.

[14]) Göttling Jahrb. f. W. Kr. 1830. p. 316. Orelli ad Cic. de rep. l. l.

[15]) Festus p. 259. L. sex suffragia appellantur in equitum centuriis, quae sunt adfectae (sic Cod.) ei numero centuriarum, quas Priscus Tarquinius rex constituit. Legitur melius profecto effectae eo numero, (quod est Livio consentaneum,) quam adjectae.

[16]) p. 348. sq. cf. Walter R. R. p. 32. n. 17.

[17]) iisdem, quibus inauguratae erant, nominibus fecit.

[18]) Dionys. IV, 18. p. 681. *τὸ δὲ τῶν ἱππέων πλῆθος ἐπέλεξεν ἐκ τῶν ἐχόντων τὸ μέγιστον τίμημα καὶ κατὰ γένος ἐπιφανῶν συνέταξε δὲ εἰς ὀκτωκαίδεκα λόχους.*

[19]) v. Huschke p. 349.

riis equitum[20]) et primo quidem loco ferebant,[21]) denique quod, quidquid insignium postea ad equites Romanos omnes pervenit, id ad patricios antiquissima aetate pertinuit. Veluti trabea, qua postea equites transvehebantur,[22]) olim incedebant reges atque patricii[23]), eodemque modo et bulla puerorum[24]) et annulus aureus a patriciis ad equites postea demum translatus est.[25])

3. Cicero l. l. dicit, Servium primum magnum equitum numerum ab omni populo separavisse, deinde reliquum populum distribuisse in quinque classes senioresque a junioribus divisisse. Apparet igitur, equites **non** distinctos fuisse in quinque classes, quod ut affirmet, loci Ciceroniani mutatio cogit Huschkium p. 354. in iisdemque non disparatos fuisse juniores et seniores. Si enim Huschkium sequimur, jam Servii tempore juniores tantum in centuriis equitum erant, quod Ciceronis tempore re vera fuisse non uno testimonio infra probabitur.[26]) Sed neglexit in hac quaestione locum, quem alias ipse affert, Ciceronis de rep. lib. IV. fr.** „**gratiam. Quam commode ordines descripti, aetates, classes, equitatus, in quo**

---

20) Liv. 43, 16. **cum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent.**

21) Equites primi vocabantur Liv. 1, 43. cf. 43, 16. cf. etiam Dion. II. 4, p. 686. sq. 10, p. 2031. Quod autem vulgo traditur, mutata comitiorum centuriatorum forma, institutaque praerogativa sex suffragia post primam classem vocata esse (Walter p. 137. Unterholzner de mutata ratione centur. comitiorum p. 6. 10. Huschke p. 350. 652.) id ex uno Ciceronis loco conjicitur (Phil. 2, 33.) in quo verbo „suffragia“ sex illa suffragia intelligenda esse non admodum veri est simile. v. Zumptius Über die Abst. d. R. Volks in Centuriatcomitien (in comment. acad. Berol. a. 1837.) p. 16. not. 2.

22) v. Lips. ad Tac. Annales 3, 2. et nos infra.

23) Ovid. Metamorph. 14, 828 **et qualis trabeati forma Quirini.** fast. 2, 503. **trabea decorus Romulus.** fast. 1, 37. 6. 375. 796. Liv. 1, 41, 6: „**Servius cum trabea et lictoribus prodit.**“ Statius Sylv. 5, 2, 17: „**non sanguine cretus Turmali trabeaque Remi nec paupere clavo.**“ Plin. HN. 9, 39. **Purpurae usum Romae semper fuisse video, sed Romulo in trabea.** id. 8, 48: **Trabeis usos accipio reges.** Virgil. Aen. 7, 187: „**Ipse, Quirinali lituo parvaque sedebat Succinctus trabea laevaque ancile gerebat Picus.**“ Lyd. de mag. p. 126, 12. Bekk. *Καὶ πρὸ Ῥωμύλου ἐπίσημα τῆς Λατίνων βασιλείας ἦν θρόνος δρύφακτος καὶ στολὴ ἡ λεγομένη παρ' αὐτοῖς τραβαία· — ὅθεν ὁ Ῥωμαίων ποιητὴς ἐν βιβλίῳ ἑβδόμῳ τῆς Αἰνηΐδος τὴν Λατίνου διαγράφων βασιλείαν, θρόνου καὶ τραβαίας διαμέμνηται* p. 127. 2. *ἡ μέντοι τραβαία μόνου τοῦ ῥηγὸς ἐτύγχανε παρατοῦρα, οἱονεὶ στολὴ ἐπίσημος.*

24) Macrob. Sat. I. 6. „**hinc deductus mos, ut praetexta et bulla in usum puerorum nobilium usurparentur. — — — Alii putant — Priscum — instituisse, ut patricii bulla aurea cum toga, cui purpura praetexitur, uterentur, dumtaxat illi, quorum patres curulem gesserant magistratum; ceteris autem, ut praetexta tantum uterentur, indultum; sed usque ad eos, quorum parentes equo stipendia justa meruissent** Schol. Juven. 5, 164: **Antiquitus nobilium pueri bullas aureas habebant, pauperum de loris, signum libertatis.**“ De senatorum filiis eorumque bullis aureis v. Liv. 26, 36. Flor. 2, 6. quibus cum locis cf. Plin. HN. I. §. 4. unde mos bullae duravit, ut **eorum, qui equo meruissent, filii** insigne id haberent, ceteri lorum.

25) Antiquissimum annulorum vestigium in annalibus ad a. 305. ante Chr. invenit Plinius (33, 6.) tumque iis soli nobiles utebantur, non senatus universus, non omnes equites. Promiscui usus alterum vestigium exstare idem observat secundo Punico bello „**neque enim aliter potuissent trimodia illa annulorum Carthaginem ab Hannibale mitti.**“

26) Loci, quos attulit Huschkius p. 351. n. 10 nihil probant, quoniam non illud dubium est, an juniores tantum militaverint, quod per se patet, sed an in centuriis equitum remanserint post stipendia exacta equites V. Madvig opusc. p. 81. not. 1.

suffragia etiam sunt senatus." Unde in equitum centuriis suffragia tulisse senatores apertum est [27]), idque aliis quibusdam hujus rei vestigiis confirmatur.

Nam, ut in formula illa Comitiorum centuriatorum: Consul exercitum imperat remittitque,[28]) aut alia Censoriae potestatis: Censores — equitum peditumque prolem describunto,[29]) non suus senatoribus locus est, sed aperte inter equites numerantur,[29 a]) sic usque ad imperatorum tempora et senatorum filii equites erant Romani et senatores ipsi, ex equitibus lecti in senatum,[30]) senatoria veste deposita, id quod accidit in publico luctu, fiebant, quod ante fuerant, equites.[31]) Accedit, quod commemorantur a Livio 29, 37. M. Livius Salinator et C. Claudius Nero, a. 550. censores, jussi alter ab altero equum vendere; tum L. Scipio Asiaticus, vir consularis, cui M. Catone L. Flacco Censoribus equus ademtus est. a. 570. cf. Liv. 39, 44. Madv. l. l. p. 77, denique senatores nonnulli, quamvis per aetatem immunes militiae, commune cum ceteris belli periculum subeuntes, (Liv. 22, 49, 17. Dionys. VI. p. 1055. R.) quibus exemplis intelligitur, ne eos quidem, qui summos in re publica honores consecuti jamdudum essent allecti in senatorium ordinem, desiisse in equitum numero haberi. Denique in sex suffragiis certe non solum juniores, sed etiam seniores fuerunt, siquidem ea de caussa, qua fieri non potuit, ut veteres illae patriciorum tribus nomen formamque centuriarum acciperent,[32]) etiam seniores ex his tribubus in Centurias seniorum primae classis migrare non potuerunt. Idem de duodecim centuriis equitum plebejis,[33]) concludi potest non solum e Ciceronis loco, quem supra attuli, sed etiam eo, quod posteriore tempore seniores ex his centuriis segregabantur, cujus rei caussa non fuisset, si utriusque aetatis fuissent centuriae.

Censum equestrem fuisse maximum, diserte a Cicerone narratur,[34]) quod

---

27) Est de h. l. Madvigii diss. egregia in opusc. Acad. p. 72. sqq.

28) Gronov. Obss. 1, 1. Huschke p. 415.

29) Cic. de legg. III, 3.

29 a) cf. Dionys. 10, p. 2007. *ἴστε δὴ συνωμοσίαν ἐπὶ τῷ δήμῳ γεγενημένην ὑπ' ἀνδρῶν οὐκ ἀφανῶν, ἐν οἷς ἐνεῖναι μέρος οὐ πολὺ καὶ τῶν εἰς τόδε συνειλεγμένων τὸ συνέδριον πρεσβυτέρων, τὸ δὲ πλεῖστον ἐκ τῶν ἔξω τῆς βουλῆς ἱππέων.*

30) Isidor Origg. IX, 4. Quamvis senatoria quis origine esset, usque ad legitimos annos eques Romanus erat, deinde accipiebat honorem senatoriae dignitatis. cf. Dio. 54, 2. extr. Claudius imperator usque ad Tiberii mortem, cum, annos 46 natus, Senator et Consul eodem tempore fieret, eques R. fuit. v. Dio. 59, 6. Suet. Cal. 15. Claud. 5. 7.

30 a) Pauli excerpt. p. 6. Lind. Allecti dicebantur apud Romanos, qui propter inopiam ex equestri ordine in senatorum sunt numero assumpti. p. 32. Lind. Conscripti dicebantur, qui ex equestri ordine patribus adscribebantur, ut numerus senatorum expleretur. cf. Liv. 2, 1, 10

31) De re notissima cf. Dio. 38, 14. 40, 46. 56, 31. Simili modo Magistratus demtis praetextis senatorio habitu prodeunt. Dio. 56, 31. 72, 21.

32) v. not. 19.

33) Equitum plebejorum non rara est mentio. Liv. 4, 42. 4, 13, 15. ubi v. Dukerum. 24, 43. Drakenb. ad 4, 15. 7. Quum autem ex equitibus Senatores legerentur, intelligitur, quomodo fieri potuerit, ut etiam plebeji sine honoribus in senatum reciperentur, cujus luculentum est exemplum apud Livium 5, 12, 11.

34) Etsi Niebuhrius I, p. 480. ed. tert. dicit, hoc fragmentum certo suppleri non posse, ideoque eo nihil

quanquam dubitari potest, utrum ita intelligendum sit, ut senatus equitatusque Serviano tempore eundem etiamtum censum habuerint, an, ut postea erat, senatorum equitumque census et inter se et a prima classe distulerint, hoc certe affirmari potest, primum, nullum esse potuisse consilium hominum ad vitae finem reipublicae praepositorum stipendium non accipientium, a quaestu remotorum, nisi ex civibus summo censu, [35]) deinde, patricios re vera ditissimos fuisse non solum herediis, sed etiam omni possessione terrarum publicarum; [36]) postremo, non modo non posse demonstrari equites postea demum ex censu creatos esse, quod Niebuhrius e Polybii loco quodam, falso intellecto, [37]) conjecerat, sed exemplo L. Tarquitii, viri patricii, sed qui stipendia pedibus propter paupertatem fecit, [38]) contrarium probari.

Attigi haec brevissime, ne ea repeterem, quae Nieb. I. p. 480. egregie et ad summam sine dubio vere dixit; contra quae nonnulla recte quidem monuit Madv. p. 78, sed in aliis verba magis pressit, quam rem refellit. Sic Nieb. nunquam negaverat patricios equitesque ditissimos fuisse, sed num lex certa de eorum censu exstitisset, suo jure, puto, dubitaverat. Nam quum et equites et senatores primum a regibus, deinde a consulibus censoribusque crearentur, fortunarum cujusque ratio fieri potuit, etiamsi lege de certo quodam censu cautum non erat.

Census autem equestris prima mentio est apud Livium 5, 7. ad a. U. C. 366, in qua re quominus Livium, ut fit, sui temporis rationem ad illa tempora transtulisse credamus, [39]) impedit, quod militare ex censu tum temporis equites coeperunt, cujus rei testimonia exstant plurima. Senatorum census primo a. 348. commemoratur, quo anno tributum in militare stipendium ex censu contulisse traduntur. [40]) Cujus ad summam quod attinet, non cogitandum est de quadringentis, qui extremis reipublicae temporibus equitum census fuit; ea enim aetate census Senatorius fuit octingentorum, primae autem classis census HS CCCIↃↃↃ. [41]) Sed intra a. U. C. 540 — 600 census primae classis nondum superavit centum millia assium, i e. quadraginta millia HS. (v. Böckh l. l. p. 432 sq.) Fortasse tum census equester non major fuit quadringentis millibus assium i e. HS. centum sexaginta millibus. Atque quanquam hic census est, quem, parvo numerorum discrimine ad Servianas classes et Cicero et Livius et Dionysius referunt, tamen nuper egregie Böckhius ostendit (v. l. l. inpr. p. 442) hos

---

probari, tamen e verbo duodeviginti de equitum centuriis, non exceptis VI. suffragiis, sermonem esse, satis perspicitur et consentit cum Cicerone Dionys. Hal. 4, 18. p. 681.

[35]) Madwigii verba sunt, quem v. p. 79. contra Niebuhrium I. p. 480. sqq. et Walterum (Römische Rechtsgesch. p. 127.) disputantem. cf. Huschk. p. 350. sq.

[36]) Rarum est exemplum pauperis senatoris Liv. 2, 16, 33.

[37]) Polyb. VI, 20. Niebuhr. I, p. 482. ed. tert. et de utroque Madvig. p. 79. not.

[38]) Liv. 3, 27. cf. Huschkium p. 359.

[39]) Walter l. l. p. 127.

[40]) Liv. 4, 60.

[41]) Böckh: Metrolog. Untersuch. über Gewichte, Münzf. u. Maasse des Alterth. c. XXIX, inpr. p. 435.

omnes non antiquissimos fontes, commentarios regum inspexisse, sed eam census formam descripsisse, quam posteriore tempore in usu fuisse vidissent. Cujus sententiae quanquam longum est argumenta omnia repetere, tamen quaedam infra afferentur, hic illud commemorasse sufficiet, ex Böckhii ratione Servianos numeros quinta parte his, qui seculo urbis sexto fuerunt, minores fuisse. Hos et assium libralium pretio imminuto et divitiis hominum crescentibus (cf. Böckh p. 444.) augeri debuisse, idque quum saepius factum sit, inde intelligi, cur de Servianis numeris inter se differant scriptores; nam quum Livius et Dionysius, antiquissimos fontes secuti, primae classi asses 100,000 tribuant, Plinium recentiorem census formam animo repraesentasse qua prima classis assibus 110,000 censeretur, eandemque ad Serviana tempora retulisse. Habuisse igitur Servii tempore

primam	classem	20,000	asses,	postea	100,000.
secundam	classem	15,000	asses,	postea	75,000.
tertiam	classem	10,000	asses,	postea	50,000.
quartam	classem	5,000	asses,	postea	25,000.
quintam	classem	2,000	asses,	postea	10,000.

Quod si hi numeri ad ea etiamtum tempora pertinent, quibus prima mentio census equestris fit, si jam tum quarta parte hunc censum primae classis censu majorem fuisse ponimus, ejus temporis census equester fuit 80,000 asses, Senatorius asses 160,000. [42])

---

[42]) Censum equestrem Serviani temporis quadringentis minorem fuisse, etiam Huschkius p. 351. vidit. Quod autem ille eadem ratione, qua classes Servianae distinctae erant, etiam equitum classes quasdam fuisse contendit, ut equitum centuriae non unâ omnes suffragia tulerint, sed binae cum singulis classibus, ejus rei unum tantum argumentum afferre potuit, a XIV ordinibus theatri petitum. Legem enim Rosciam dicit p. 362. non novum equitibus privilegium dedisse, sed antiquum restituisse, quum autem XVIII. centuriae XIV tantum ordines habuerint, intelligi, quattuor centurias non optimo jure usas fuisse. Has igitur fuisse illos Varronis ferentarios, eosque, ut in theatro, sic neque in concione populi idem jus atque alios, neque eundem censum habuisse. Sed, nisi Ciceronis locum conjectura mutavisset, in hanc sententiam nunquam incidisset. Nam de ferentariis supra dictum est, illud a nemine, quod sciam, traditur, singulas centurias singulis ordinibus suas sedes habuisse, quo tamen posito non alienum a vero est, senatoribus magistratibusque, qui antiquis temporibus centuriis illis continebantur, priores ordines datos fuisse. Postremo, quomodo fieri potuit, ut quinta illa classis equitum una cum centesima undesexagesima centuria suffragia ferret, quum tamen etiam illi equites minime primae classis censum haberent? Sed haec omnia a Cicerone ipso refelluntur, qui equitum numero ex omni populi summa separato, tum demum reliquum populum in classes distributum esse tradit.

Cap. III.

De equo publico.

Qui Servii tempore aut in sex suffragiis, aut in XII. centuriis erant, equo publico omnes usi sunt, et recte ad haec tempora Festus p. 61. Lind. „equitare antiqui dicebant equum publicum merere." Idem igitur erat equitem esse et equo publico uti. [43]) Hunc Cicerone auctore [44]) primus assignavit Tarquinius Priscus; Servius autem jam non equum ipsum assignavit, sed aes quoddam equestre instituit, quo equi emerentur, item aes hordearium, quod ad alendos equos in annos singulos penderent viduae, i. e. mulieres non nuptae, [45]) sicuti Corinthi quoque orborum et viduarum tributis et assignabantur et alebantur equi publici. [46]) Tradunt, aeris equestris nomine data esse equitibus decem millia assium, aeris hordearii nomine duo millia assium, [47]) quae summae iam Niebuhrium offenderunt. Tamen is tantae impensae aliquas caussas sibi visus est reperisse, pretium equi ad pugnam idonei, comparationem servi, equique alterius, quo servus uteretur. [48]) Multo aliter autem de ea re iudicandum esse, egregie vidit, qui hanc quaestionem nuper absolvit, Böckhius [49]) Animadvertit enim, Solonis tempore, id est non multo ante Servii aetatem Athenis censum equitis tria millia drachmarum effecisse, quum ut nunc creditur Romae equus solus mille drachmis constiterit. Anno 324 U. C. ovem decem, bovem centum assibus emi solitos fuisse; quae pretia ut Servii tempore non minora fuerint, tamen aes equestre centum boum sive mille ovium pretium aequaturum fuisse. Anno 376 U. C. Athenis, ubi equi magni constare solebant, tamen emebantur tribus minis; Romae igitur Servii aetate optimus equus duarum minarum pretium excedere non potuit, quum servus simul cum equo suo comparari non majore pretio posset. Tamen narrantur mille drachmae ad equum emendum tributae fuisse, quum alio loco (4, 45) Livius: „dena millia gravis aeris, quae tum divitiae habebantur." Eodem modo, ut Servii aetate frumenti pretia erant, centum drachmae et equis duobus alendis et servo sufficiebant, cum duo millia assium ducentas drachmas efficiant. Quae cum ita

---

[43]) Equum merere recte dicitur ut triplex merere, stipendia merere. Ceterum neque hoc capite, neque libro III, c. 3, ubi iterum de equitibus equo p. dixi, dicendum putavi de discordibus de hac re sententiis virorum doctorum, qui temporibus non distinctis, incredibile est, quas turbas excitaverint. v. Manut. ad Cic. Phil. 6, 5. ad div. 8, 9. Sigon. de antiq. jure civ. Rom. l. II, c. 3. Dempster. ad Rosini Antt. Rom. 1, 17. Salmas. de re milit. c. 21. Duker ad Liv. 5, 7. Graevius in praefat. Vol. I. thesauri A. Rom. Ferrat. epp. 2. l. F. Gron. de pec. vet. 2, p. 126. Lips. de re milit. Rom. 1, 5. Ph. a Turre Mon. vet. Antii p. 49. Garaton. ad Cic. Phil. 1, 8 et 6, 5. Muhlert §. 13.

[44]) de rep. II, 20.

[45]) cf. Nieb. 1, p. 520. Walter l. l. p. 35.

[46]) Cicero de rep. 2, 20. cf. Boeckh. l. l. p. 208.

[47]) Sic enim Livius 1, 43.

[48]) Nieb. I, p. 486: de Servio comparavit Böckhius p. 440 Gellium 4, 20. Etiam sociorum equites suum quisque servum habebant. Liv. 22, 42, 11. et ap. Liv. 43, 5. duobus regulis Gallorum donantur duo equi phalerati cum agasonibus et equestria arma ac sagula. Fortasse etiam ad haec ea summa pertinebat.

[49]) p. 499. sqq. Aliam rationem inierat Huschkius p. 367. sqq.

sint, non minus has, quam classium Servianarum summas ad Urbis sextum seculum pertinere conjicit, antiquos numeros quinta parte, quod supra commemoravimus, minores fuisse credit. Ita aes equestre ad duo millia aeris, aes hordearium ad quadringentos asses redigitur. Catonis fragmentum ejus orationis, qua suasit in senatu, ut plura aera equestria fierent, de aucto eorum, qui aera equestria acciperent, numero intelligendum esse videtur;[50]) Varronis autem verba: „equitum publicum esse mille assariorum“ non ad aes equestre, quod multo majus erat, sed ad aes hordearium referenda sunt, cujus dimidia pars equo alendo, altera autem servo destinata fuit.[51])

Superest una eaque difficillima quaestio.[52]) Equi enim illi erant militares. Quum autem legionarios milites non diutius, quam ad annum quadragesimum sextum sive coeptum, sive plenum[53]) constet militasse, intra quod spatium decem stipendia exigi poterant,[54]) cur autem equites illi diutius militarent, excogitari caussa omnino nequeat, quaeritur, utrum ii, qui legitima stipendia equo publico confecissent, retinuerint equum et in centuriis manserint, an reddito equo desierint in equitum centuriis esse. Ac quanquam rei naturae erat accommodatius, aera equestria tribui iis, qui militarent, quam iis, qui stipendiis absolutis equum publicum frustra alerent, tamen et illud non est praetermittendum, non usus solum, sed etiam honoris in ea re rationem habitam esse.[54a]) Certe jam diu equi publici nullus usus erat, quum honor ejus etiamtum magni aestimaretur, de qua re alio loco dicendum est amplius. Et milites quidem anno quadragesimo sexto e centuriis juniorum in centurias seniorum transscripti ut quod discrimen quum inter equites non esset, necesse erat, ut aut in equitum centuriis consenescerent, aut in centurias primae classis transscriberentur. Quod quanquam Gracchanis fere temporibus in usu esse coepit, tamen autecedente aetate senatores in centuriis equitum fuisse, Ciceronis loco probatum est.

Si vero tantus honor equi publici fuit, ut ne majore quidem senatorii ordinis dignitate tolleretur, eundem si multo magis a ceteris retentum conjicio, non procul videor a vero aberrasse. Ut igitur in sex suffragiis, Serviano instituto longe antiquioribus, non distinguebantur juniores et seniores, sic etiam in duodecim centuriis illud classium discrimen non erat:[55]) in quo illud tamen tenendum est, quod jam Niebuhrius[56]) monuit, non eandem fuisse turmarum centuriarumque legem.

---

50) Priscian. VII, 8, p. 317. Cato in oratione, qua suasit in senatu, ut plura aera equestria fierent: Nunc ego arbitror oportere institui, nequo minus duobus millibus ducentis sit aerum equestrium. Quem locum post Gronovii luculentam disputationem (de pec. vet. lib. III, c. 2, p. 273. sqq.) nondum intellexit Meyerus in Oratt. Rom. fragm. p. 82, nuper autem paucis illustravit Böckhius l. l. p. 428.

51) v. Böckh. l. l. Aliter sentiunt Walter l. l. p. 128. Huschke l. l. p. 369.

52) cf. de hac Madvig. p. 80. sq.

53) Niebuhr. I. p. 491. ed. tert.

54) Polyb. 6, 19, 2. Plut. C. Gracch. 2. Liv. 27, 11.

54 a) Huschkius l. l. p. 653.

55) Haec etiam Niebuhrii sententia est I, p. 490.

56) I, p. 487.

Cap. IV.

Equites equo privato.

1. Pauca quidem sunt, sed tamen non nullius momenti, quae de equitibus Servianis accepimus. Sequuntur quattuor fere secula et dimidium, per quae rarissima eorum memoria exstat, quanquam ut intra hoc temporis spatium dejectis de principatu patriciis nobilitatis nova auctoritas orta est, ita equitum conditionem plane mutatam scimus. Primores enim civitatis, ex quibus Livius I, 43. duodecim a Servio centurias scriptas esse refert, non dubium est, quin e nobilibus maxime Latinis constiterint, [57]) qui, quamvis subjectis civitatibus suis non inter patricios Romanos recepti, tamen illis dignitate non prorsus impares, [58]) multo autem plebejis, qui Romae erant, superiores sibi videbantur. Quo factum est, ut etiam hi a parte patriciorum, quibuscum et senatu et centuriis, quasi communi quodam vinculo arcte conjuncti erant, in omnibus seditionibus steterint, non modo Tarquinii Superbi aetate, qui in equites senatoresque pari ira grassatus est, [59]) sed etiam in eo tumultu, qui primam secessionem plebis paullo antecessit, [60]) denique in bello Aequico, quum exsecrantibus et deserentibus Fabium imperatorem odio patrum peditibus, soli ducis dicto audientes, exercitum hostium funderent; [61]) in iis autem contentionibus, quibus plebejorum de X viris legum scribendarum rogationibus patricii restiterunt, nulli equitibus aut ferociores, aut plebi graviores essent. [62])

Contra infestius nullum odium, quam quod inter optimates Gracchani temporis et equites Romanos intercessit. Unde non solum judiciariae contentiones, quae a Gracchis inde totam rempublicam concusserunt, sed maximam partem etiam bellum

---

[57]) Walter p. 33.

[58]) cf. not. 11. Dionys. Hal. 4, 18. p. 681. R. *τὸ δὲ τῶν ἱππέων πλῆθος ἐπέλεξεν ἐκ τῶν ἐχόντων τὸ μέγιστον τίμημα καὶ κατὰ γένους ἐπιφανῶν.*

[59]) Zonaras 7, 10 p. 248 ed. Ven. *Καὶ οὕτω τὸ κράτιστον τῆς βουλῆς καὶ τῆς Ἱππάδος ἀνάλωσε, μισεῖσθαί τε ὑπὸ τοῦ δήμου ἐπίστευε.*

[60]) Dionys. Hal. VI. p. 1119. R.

[61]) Livius 2, 43, 7.

[62]) Memorabilis est de hac re Dionysii locus 10, init. Narrat Terentium Arsam rogationem tulisse de X viris. Tum dissuaserunt, inquit, eam legem *πολλοὶ τῶν ἐκ τοῦ συνεδρίου, πρεσβύτεροι καὶ νέοι* (p. 1990, 1.) iidemque cum sodalibus per urbem commeantes, tribunis obstiterunt (p. 1992, 6.). Inter quos Caeso Quinctius *καὶ μέγιστον τῶν τότε νέων δυναμένος* apud patricios quidem in magno honore fuit, sed tribuni hunc de medio tollere decreverunt *ὡς καταπληξόμενοι τοὺς λοιποὺς τῶν νέων καὶ προσαναγκάσοντες σωφρονεῖν.* Quem quum pater Cincinnatus in concione defendisset, plebis quidem ira lenita est, sed vidit Virginius trib. pleb. *ὅτι, μὴ διδόντος ἐκείνου δίκην, ἀφόρητον ἔσται θράσος τῶν αὐθαδῶν μειρακίων.* Ac Caeso quidem in exilium abiit, *τοῖς μέντοι δημάρχοις πολὺ το παράλογον ἐγίγνετο τῆς ἐλπίδος. οὐ γὰρ ὅπως ἐπαύσατο ἡ τῶν νέων φιλοτιμία σωφρονισθεῖσα τῇ Καίσωνος συμφορᾷ, πολὺ δὲ χαλεπωτέρα καὶ πλείων ἐγένετο* (p. 2002, 15.). Etiam anno sequente legem impediverunt *οἱ τῶν νέων πλεῖστον δυνάμενοι* (p. 2003, 18.). Denique conjuratio facta horum juvenum (2006, 6.), de qua sic refert Virginius trib. pleb. in senatu: (p. 2007.) *ἴστε δὴ συνωμοσίαν ἐπὶ τῷ δήμῳ γεγενημένην, ὑπ' ἀνδρῶν οὐκ ἀφανῶν, ἐν οἷς ἐνεῖναι μέν τι λέγεται μέρος οὐ πολὺ καὶ τῶν εἰς τόδε συνειλεγμένων τὸ συνέδριον πρεσβυτέρων, τὸ δὲ πλεῖστον ἐκ τῶν ἔξω τῆς βουλῆς ἱππέων.* Sic etiam p. 2016, 5. juniores eos appellat, quos et h. l. equites dicit et iterum, de eadem re dicens p. 2069. Eosdem p. 2079. *τὴν τῶν πατρικίων νεότητα* dicit. cf. p. 2099 et de his „coitionibus juniorum patrum“ contra plebejos Liv. 3, 65.

Marsicum et crudelissimum inter Sullam Mariumque bellum [63]) est exortum, et in omnibus his seditionibus ac bellis a plebis partibus contra optimates steterunt equites. Quibus autem caussis quibusque rationibus factum sit, ut tam ingens incideret mutatio omnium rerum, a nullo scriptorum veterum non modo accurate explicatur, sed ne in transitu quidem leviterque attingitur, et de quattuor seculorum memoria uberrima vix pauca vestigia restant, ex quibus de equitum historia conjecturam facere liceat.

2. Per Tarquinium Priscum, ut supra vidimus, ad mille ducentos aucti fuerant equites; erant igitur in singulis centuriis duceni. Quod si eadem earum ratio fuit, quae a Servio Tullio institutae sunt, duodecim institutis novis centuriis, universorum equitum numerus effectus est tria millia sexcenti, qui numerus fortasse a vero non ita longe abest. Nam Catonis tempore duo tantum millia equitum equo p. fuere, imminuto fortasse per aerarii angustias aerum equestrium numero, sub Augusto quinque millia erant. Quod si equitum centuriae per Caesarem et Antonium eodem modo ac senatus auctae erant, ante bella civilia numerus ille tribus millibus multo major esse non potuit. [64]) Apparet autem, plus seculo praeterlapso, auctis cum universo civium numero tum et viribus et multitudine plebejorum, etiam numerum eorum crevisse, qui, nisi certa equis assignandis summa publice constituta fuisset, in equitum centurias recipi potuissent. Idque testantur quae de Vejorum obsidione Livius refert 5, 7. „Accepta enim, inquit, apud Vejos calamitas magnam senatui curam metumque injecit — — quum repente, quibus census equester erat, equi publici non erant assignati, consilio prius inter sese habito, senatum adeunt, factaque dicendi potestate equis se suis stipendia facturos promittunt". Hos quum plebs quoque imitata esset, utrisque senatus gratias agere „placere etiam, omnibus his voluntariam extra ordinem professis militiam aera procedere" id est stipendia valere ad implendum justum stipendiorum numerum, [65]) „et equiti certus numerus aeris est assignatus. Tum primum equis merere equites coeperunt".

3. Hoc igitur tempore rei militaris mutatio magna facta est. Nam ad unum, quod hucusque fuerat, equitum Romanorum genus, qui equo publico stipendia faciebant, [66]) accessit alterum plebejorum hominum, qui, quanquam non appellabantur equites, carebantque insignibus equitum Romanorum, [67]) tamen equo merere sive equo stipendia facere, id est, equo privato, [68]) dicuntur.

---

[63]) cf. Cic. Off. 2, 21. pr. Cluent. 55. et alia, quae laudabuntur infra.

[64]) v. Huschke l. l. p. 379. Catonis locum v. n. 50. Ex veterum incertissimis de numero militum narrationibus (v. Dion. Hal. 5. p. 1048. R.) concludi nihil potest.

[65]) v. Gronov. ad Liv. 5, 48, 7. Dirksen ad Tab. Heracl. p. 46.

[66]) Liv. 39, 9. P. Aebutius, cujus pater publico equo stipendia fecerat. pro quo Ovid. fast. 3, 130. de Romuli 300 equitibus „legitimo quique merebat equo."

[67]) Non solum Gracchorum tempore judices, non equites dicebantur, sed etiam, si Plinio fides, „Divo Augusto decurias (sc. judicum) ordinante major pars judicum in ferreo annulo fuit iique non equites, sed judices vocabantur. Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum." Plin. H. N. 33, 7.

[68]) Recte enim Livii loco laudato legitur Tum pri-

Vejorum autem oppugnatio in illud incidit tempus, quo erectiore animo auctisque viribus contra patricios consurgebant plebeji, in eoque certamine, ex quo L fere annis postea, Consulatus participes facti, superiores evaserunt, non parvi momenti erat, quod honore etiam militiae equitibus aequabantur, quorum pars magna erat patricia, ceteri a censoribus ex earundem partium sociis allegebantur.

4. Quum autem aerum equestrium equorumque publicorum certus quidam modus numerusque constitutus esset, contra legionariorum equitum multitudo fere quotannis augeretur, interjecto tempore factum esse apparet, ut inter equestres copias non nisi rari invenirentur equites Romani. Cujus rei vestigia quaedam a Livio servata reperi.

De proelio enim cum Samnitibus a 410 a. Chr. n. commisso l. 9, 38.: „Dimicatum, inquit, proelio utrimque atroci atque incerto eventu est, et cum anceps caedes fuisset, adversae tamen rei fama in Romanos vertit ob amissos quosdam equestris ordinis tribunosque militum atque unum legatum, et, quod insigne maxime fuit, consulis ipsius vulnus". Multos in hac pugna praeterea equites cecidisse, quorum ut hominum de plebe, jactura levior erat, ex alio loco colligitur, [69]) ubi, postquam in pugna ad Placentiam a. 219 trecentos equites occisos esse dixit, haec addit: Sed major Romanis quam pro numero jactura fuit, quia equestris ordinis aliquot, et tribuni militum quinque et praefecti sociorum tres [70]) sunt interfecti. — — Venienti in Ligures Hannibali per insidias intercepti duo quaestores Romani cum duobus tribunis militum et quinque equestris ordinis, senatorum ferme liberis — — — traduntur". Ordinis equestris nomine, quod ad haec tempora non pertinet, sed inde a Gracchis demum invaluit, equites equo publico intelligi, et ex his locis apparet, et disertius dicitur 24, 18, 6, ubi de censura a. 214, quae proxima fuerat post Cannensem cladem, sermo est. „His superioribusque illis equi ademti, qui publicum equum habebant, tribuque moti, aerarii omnes facti. Neque modo senatu-

mum equis merere equites coeperunt, quae verba in epitome ejusdem libri ita repetuntur, ut equis suis merere scriptum sit. Sic 27, 11, 13. addiderunt acerbitati etiam tempus, ne praeterita stipendia procederent iis, qui equo publico emeruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent. Magnum praeterea numerum conquisiverunt, qui equo merere deberent, h. e. equo privato. Nam pergit „atque ex iis, qui principio ejus belli septendecim annos nati fuerant, neque militaverant, omnes aerarios fecerunt." Eosdem coactos fuisse pedibus merere, quum equites equo publico tum temporis equis privatis merere damnarentur, ex ejusdem rei memoria apud Liv. 24, 18, 6. intelligitur. Eo igitur sensu Livius dixit equo merere, quo suo tempore legionarii equites merere dicebantur. Cf. Tab. Heracl. aer. Neap. lin. 17. et Cic. or. Phil. 1, 8. Quicunque ordinem duxit, judicet. At, si ferretis, quicunque equo meruisset, quod est lautius, nemini probaretis. Et ita etiam negligentius Maccrob. Saturn. I., 6. quamvis de regum tempore, quo nondum fuerunt eqq. equo privato. Alii dicunt — Priscum — instituisse, ut patricii bulla aurea cum toga, qui purpura praetexitur, uterentur, dumtaxat illi, quorum patres curulem gesserant magistratum, ceteris autem, ut praetexta tantum uterentur, indultum; sed usque ad eos, quorum parentes equo stipendia justa meruissent. cf. Plin. H. N. 33, 4.

[69]) Liv. 21, 59, 9.

[70]) Etiam hos Romanos fuisse testatur Liv. 33, 26. cf. Ducker ad Liv. 25, 1.

aut equestri ordine regendo cura se censorum tenuit". [71]) De eadem re Livius **27, 11, 13.**: „In equestribus quoque notis eadem servata caussa. — — — Illis omnibus (et multi erant) ademti equi, qui Cannensium legionum equites in Sicilia erant. Addiderunt acerbitati etiam tempus, ne praeterita stipendia procederent iis, qui equo publico meruerant, sed dena stipendia equis privatis facerent. Magnum praeterea numerum eorum conquisiverunt, qui equo merere deberent. [72])

Ex his locis illud certe perspicitur, et duplex fuisse equitum genus, et multo majorem numerum eorum, qui equo privato stipendia facerent. Contra alterorum in minore numero auctoritatem majorem fuisse et res ipsa docet et testantur historici. L. Aem. Paullus in pugna Cannensi et occurrit saepe cum confertis Annibali, et aliquot locis proelium restituit, protegentibus eum equitibus Romanis, [73]) omissis postremo equis, quia consulem ad regendum equum vires deficiebant. Quorum quum magna pars cecidisset, cum septuaginta consul fugam capessivit. [74]) Non dubium est, quin hi equites comitatus fuerint consulis et tanquam praetoria quaedam cohors [75]) et maximam partem ex amicis consulis nobiliumque liberis i. e. equitibus equo p. constiterint. Iidem intelligendi sunt, qui saepe una cum tribunis militum commemorantur, ut a Livio **9, 38. 21, 59, 9.** denique **22, 14, 15.**: „Haec velut concionanti Minucio, circumfundebantur tribunorum equitumque Romanorum multitudo, et ad aures quoque militum dicta ferocia volvebantur". Quo loco equites Romanos non distingui a sociorum equitatu, sed ab iis, qui quanquam equo merebant, tamen equites non appellabantur, [76]) et locis supra laudatis Livius auctor est, et l. **25, 37.**: „Anno enim **214** a. Chr. n., inquit, quum Cn. Scipione in Hispania interfecto deletus exercitus, amissaeque Hispaniae viderentur, vir unus res perditas restituit. Erat enim in exercitu L. Marcius, Septimi filius, eques Romanus, impiger juvenis, animique et ingenii aliquanto, quam pro fortuna, in qua erat natus, majoris. Ad summam indolem accesserat Cn. Scipionis disciplina, sub qua per tot annos militiae artes edoctus fuerat. Hic et ex fuga collectis militibus et quibusdam de praesidiis deductis, haud contemnendum exercitum fecerat junxeratque cum T. Fontejo, P. Scipionis legato. Sed tantum praestitit eques Romanus auctoritate inter milites atque honore, ut castris citra Iberum communitis, quum ducem exercituum comitiis militaribus creari placuisset, — — ad L. Marcium cuncti summam imperii detulerint."

---

[71]) cf. Val. Max. II., 9., 7. Equestris quoque ordinis bona magnaque pars, quadringenti juvenes, censoriam notam patiente animo sustinuerunt: quos M. Valerius et P. Sempronius (Censs. a 252 a. Chr. n.) equis publicis spoliatos in numerum aerariorum retulerunt.

[72]) cf. n. 68

[73]) Liv. 22, 49.

[74]) Liv. 25, 6.

[75]) Cohors enim praetoria a Scipione Africano instituta esse dicitur. v. Pauli excerpta p. 122. Lind.

[76]) cf. n. 67. Aliter igitur explicandum est, quod narratur 34, 13, 4. „Cato convocati tribunos praefectosque et equites omnes et centuriones jussit". cf. 39, 5, 18. et 40, 40, 4.

Qui igitur a Livio equites Romani appellantur iis temporibus, quae sunt ante Gracchos, intelliguntur equites equo publico, qui interdum, ut Marcius ille, in cohorte praetoris erant, nonnunquam tribunorum praefectorumque munere fungebantur, numero pauci, auctoritate ceteris praecellentes. Cf. Liv. 39, 31, 15. de victoria a. 187 a. Chr. n. in Hispania parta: Romani sociique paullo plus sexcenti et provincialium auxiliorum centum quinquaginta ferme ceciderunt, tribuni militum quinque amissi et pauci equites Romani cruentae maxime victoriae speciem fecerunt. Eodem modo intelligo Livium 30, 18, 15. Tertiae decimae quoque legionis — Cn. Helvius tribunus militum in restituenda pugna cecidit et duo et viginti ferme equites illustres obtriti ab elephantis cum centurionibus aliquot perierunt.

5. Dixi supra ne Servianis quidem temporibus ex censu solo equites in centurias lectos esse, sed generis etiam rationem habitam, idque eo magis postea invaluisse, quum regibus exactis diuturna illa inter patres plebemque contentio oriretur, in qua equites semper se ad patres applicuerunt. Quam ob rem non parvum momentum ad confirmandos plebis animos in communicato hoc militiae honore fuisse, quo ita digni et hi reperti sunt, ut illa laus Romani equitatus ab antiquissimo tempore propagata, etiam post Vejens bellum ad Persei usque aevum incorrupta atque integra manserit. [77])

Atque, quum eo fere tempore equo merere coepissent, quo stipendium pediti constitutum est, [78]) et equitibus i. e. qui suis equis merebant, aeris certus numerus assignatus est. [79]) Quod aes initio duplex fuisse videtur ejus stipendii, quod pedites accipiebant, [80]) id est non minus illo, quod equo alendo hordearii nomine equitibus eq. p. tribuebatur, [81]) idque duobus annis post triplex factum est [82]) iis, qui aera equestria non acciperent. [83]) Ab his ita ad alteros illud stipendium pervenisse videtur, ut sublato hordeario illo viduis imperato, cujus postea nulla est mentio, equitibus equo publico praeter stipendium triplex aera tantum equestria relinquerentur. [84])

Ceterum etiam postquam Liciniis legibus plebejis et in senatum et in XVIII centurias liberior aditus factus est, tantum etiam tum temporis aberat, ut antiquum illud inter senatum equitesque vinculum solveretur, ut, quum et senatorum filii et

---

77) v not. 2. Liv. 40, 40, 4,: 42, 61, 4. Persei regis Macedonum verba sunt ad milites: M e l i o r e m p a r t e m h o s t i u m, e q u i t a t u m R o m a n u m, q u o i n v i c t o s s e e s s e g l o r i a b a n t u r, f u d i s t i s.

78) Hoc factum est a, 349 a. Chr, n. Liv. 4, 59. 60.

79) Sic recte explicat Huschkius p. 375 Livium 5, 7.

80) v. Nieb. II, p, 497. cf, Huschk. p. 376, inpr, Liv. 22, 54. 45, 34. 22, 58.

81) i. e. duo millia aeris.

82) Liv. 5, 12. cf. 7, 41. 29, 15 eademque ratio et in agris coloniarum assignandis (cf. Liv. 40, 34.) et in triumphis observatur, ut simplex pedes, duplex centurio, triplex eques accipiat. v. Liv. 33, 23. c.' nott. interpp. 33, 37. 34, 46, 3. 34, 52, 11. 36, 40. 39, 5, 17. 39, 7. 40, 43, 7. 40, 59. 45, 40. 45, 44.

83) Nieb. II. p. 498. not. 971. Huschkius p. 377.

84) Certe aerum equestrium etjam Catonis tempore mentio fit. cf. n. 50 et Festum v. Impolitias. cf. de tota re Huschk. l. l. Nieb. l. l.

ipsi senatores in XVIII centuriis essent, equites Romani equo publico a magno numero equitum reliquorum differrent nobilitatis et studio et insignibus. Anno 306 a. Chr. n., quum C. Flavius scriba, patre libertino, aedilis curulis factus esset, traditum est in annalibus, „tantum haec comitia indignationis habuisse, ut plerique nobilium anulos aureos et phaleras deponerent". Haec ipsa annalium verba, quae servavit Livius 9, 46, 12. egregie et confirmat et interpretatur Plinius H. N. 33, 6. „Quo facto tanta senatus indignatione exarsit, ut anulos ab eo abiectos fuisse in antiquissimis reperiatur annalibus. Fallit plerosque, quod tum et equestrem ordinem id fecisse arbitrantur. Etenim adiectum hoc quoque, sed et phalera posita, proptereaque nomen equitum adiectum est. Anulos quoque depositos a nobilitate in annales relatum est, non a senatu universo". Itaque anulus, ut antea patriciorum, sic hoc aevo fuit nobilium, non omnium senatorum. Pergit enim Plinius: Et hoc primum anulorum vestigium exstat: promiscui autem usus alterum secundo Punico bello: neque enim aliter potuissent trimodia illa anulorum Carthaginem ab Hannibale mitti. Ad quos pertinuerit usus ille promiscuus, e Plinio non apparet. Ac Livius quidem 23, 12., postquam narravit Magonem in vestibulo curiae Carthaginiensis effudisse aureos illos anulos „Adiecit deinde", inquit, „verbis, quo maioris cladis indicium esset, neminem nisi equitem atque eorum ipsorum primores id gerere insigne." Primores autem illos sine dubio intelligit equites equo publico, aut, quod idem fere est, nobiles. Nam, quanquam fieri potuit, ut, quod postea factum est, etiam eorum, qui non erant in centuriis publicumque equum habebant, quidam anuli ius sibi sumpserint, tamen eos tum quidem aetatis paucissimos fuisse necesse est, quum ne socialis quidem belli tempore ius illud omnes equites essent assecuti. [85]) Neque ex incerta de tribus modiis anulorum narratione de numero equitum quidquam coniiciendum est. [86])

---

[85]) Plinii H. N. 33, 6. Ne tum quidem (belli socialis tempore) omnes senatores habuerunt: utpote cum memoria avorum multi praetura quoque functi in ferro consenuerint, sicut Calpurnium et Manilium, qui legatus C. Marii fuerat Jugurthino bello, Fenestella tradit: et multi L. Fufidium illum, ad quem Scaurus de vita sua scripsit. Idem c. 7. Sed anuli plane medium ordinem tertiumque plebi et patribus inseruere. — Nec pridem id factum: Divo Augusto decurias ordinante, maior pars iudicum in ferreo anulo fuit, iique non equites, sed iudices appellabantur.

[86]) Modios tres habent Liv. 23, 12, 1. Val. Max. 7, 2, 13. Augustin. de civit. dei 3, 19. duos Florus 2, 6, 19. quem exscripsit Jornandes de regn. succ. 39, p. 1067 Grut. Val. Max. et Lucianus diall. mort. 12, 2. non equitibus, sed civibus Romanis anulos detractos narrant. „Fama tenuit, quae propior vero est, haud plus fuisse modio." Liv. l. l. Ceciderunt in pugna Cannensi paene sex millia equitum (Dion. Hal. 2, 17. p. 271.) ex quibus si tertia tantum pars anulum habebat, iam magnus is numerus credi potuit.

Cap. V.

Publicani.

1. Neque vero prius fieri potuit, ut communicarentur haec insignia dignitatis cum omnibus, qui et censum haberent et equis suis stipendia facerent, quam viribus opibusque illis in republica aequarentur. Hoc autem multo postea factum est. Mos enim erat antiquus Romanorum ut Atheniensium ceterorumque Graeciae populorum, ut vectigalia et ultro tributa locarent publicanis. Quanquam autem, singulorum fortunis provinciarum vectigalibus conducendis non sufficientibus, societates publicanorum coibant, tamen etiam in iis summi tantum census homines fuisse necesse est. Sicuti vero Atheniensibus nobilibus,[87]) sic patribus Romanis quaestus indecorus videbatur,[88]) postea legibus interdictus est. [89]) Exclusis autem a negotio magistratibus [90]) senatoribusque tota res aut ad equites Romanos rediit, aut ad eos, qui equestrem censum habebant. Publicanorum primam mentionem invenio in annalibus anni 217. a. Chr. n., [91]) quum praetor vestimenta, frumentum Hispaniensi exercitui praebenda, quaeque alia opus essent navalibus sociis, locaret et ad conducendum tres societates adessent hominum undeviginti. Anno sequente convenere ad censores frequentes, qui hastae eius generis assueverant, hortatique censores, ut omnia perinde agerent, locarent, ac si pecunia in aerario esset. [92]) Itaque iam tum certum quoddam genus et ordo publicanorum erat, isque et artes omnes eas callens, quibus τελώνας Athenienses famosos fuisse scimus, [93]) et nihilominus magnas in republica vires assecutus. Anno enim 214 a. Chr. n. „publicanus erat M. Posthumius Pyrgensis, qui multis annis parem fraude avaritiaque neminem in civitate habuerat praeter L. Pomponium Veientanum. Hi, quia publicum periculum erat a vi tempestatis in iis, quae portarentur ad exercitus, [94]) et ementiti erant falsa naufragia, et ea ipsa, quae vera renunciaverant, fraude ipsorum facta erant, non casu. In veteres quassasque naves paucis et parvi pretii rebus impositis, quum mersissent eas in alto, exceptis in praeparatas scaphas nautis multiplices fuisse merces ementiebantur. Ea fraus indicata M. Atilio praetori priore anno fuerat, ac per eum ad senatum delata, nec tamen ullo SCto notata, quia patres ordinem publicanorum in tali tempore offensum nolebant.“ Quum autem tribuni rem

---

87) Boeckh. Staatsh. I. p. 360.

88) Liv. 21, 63, 4.

89) Liv. 21, 63, 3. Invisus etiam patribus ob novam legem, quam Q. Claudius tribunus plebis adversus senatum, uno patrum adjuvante C. Flaminio, tulerat; ne quis senator, quive senatoris pater fuisset, maritimam navem, quae plus quam trecentarum amphorarum esset, haberet. Id satis habitum ad fructus ex agris vectandos. Plura v. III, 4 n. 12.

90) De his v. impr. Cic. Verr. 2, 3, 57.

91) Liv. 23, 48. 49. Etiam hos, qui non conducebant vectigalia, sed opera publica a censoribus redimebant, publicanos recte dici, intelligitur collatis locis Livii 24, 18 et Valer. Max. 5, 6, 8. cf. Burm de vectig. p. 124.

92) Liv. 24, 18, 11.

93) Böckh. Staatsh. I. p. 361. cf. p. 358.

94) Eandem conditionem illae societates tulerant, de quibus Liv. 23, 48.

ad plebem retulissent, eiusque frequens esset concio, „turbandae rei caussa publicani per vacuum in summoto locum cuneo irruperunt, iurgantes simul cum populo tribunisque.“ [95]) Fuerunt hae societates redemtorum non diversae fortasse ab iis societatibus, quae ab antiquissimis temporibus occupatarum a Romanis terrarum vectigalia conducebant. Nam et Italia et Sicilia, in qua non dubium est post primum bellum Punicum fuisse publicanos, tum temporis a Romana ditione defecerant, publicanique harum provinciarum pecunias suas aliis negotiis occupare cogebantur. Finito autem bello postquam quadraginta fere annorum spatio, qui inter bellum Punicum secundum tertiumque intercedunt, ad Siciliam atque Sardiniam novae provinciae Hispania, Asia, Macedonia, Africa, Achaia accesserunt, sicuti vectigalia nervi reipublicae facta sunt, sic is ordo, qui exercebat illa, firmamentum ceterorum ordinum esse coepit. [96]) Longum est et supervacaneum, qua fraude et in opprimendis provinciis versati sint publicani, quo fenore pecunias congestas in ipsis provinciis auctitaverint, pluribus explicare, praesertim quum ab hac peste nulla fere veterum civitatum libera fuerit: [97]) eum tamen haec avaritia exitum habuit, ut crescente pecuniae copia etiam vires eorum atque auctoritas et Romae et in provinciis augerentur, quum locupletarent amicos, mitterent in negotium atque operas plurimos, multis benigne facerent, darent partes, crederent populis, usuris provincias exhaurirent, et ita gratiosi in suis tribubus, inter provinciales pollentes, et Romae, sive in perferendis legibus, sive magistratibus creandis, [98]) sive supprimendis criminum suorum querimoniis, eorum, quos ex negotiis privatis obnoxios habebant, opera uterentur, et in provinciis magistratibus Romanis dignitate proximi essent. Sicuti vero provinciae vires publicanis dedere, sic ad quas reipublicae partes iuvandas has vires conferrent, provinciarum maxime ratione praestitutum est.

---

95) Liv. 25, 3.

96) Cicero pr. leg. Manil. c. 7.

97) Non solum Athenis, sed in omnibus civitatibus Graecis, neque minus in iis regnis, quae e Macedonico regno exstiterant, publicani fuerunt v. Böckh. Staatsh. I. p. 358. De provinciis Romanis v. Cic. Verr. 2, 2, 3, 7. Sic porro nostros homines diligunt (Siculi), ut his solis neque publicanus, neque negotiator odio sit. Id. ep. ad Q. fratr. 1, 11, 33. Illa caussa publicanorum quantam acerbitatem afferat sociis, intelleximus ex civibus, qui nuper in portoriis Italiae tollendis, non tam de portorio, quam de nonnullis iniuriis portitorum querebantur. Quare non ignoro, quid sociis accidat in ultimis terris, quum audierim in Italia querelas civium.

98) Quam negotia privata potentiam divitibus addiderint, luculentum docet Crassi exemplum ap. Sall. Catil. 48. Ceterum cf. Hegewisch Röm. Fin. p. 102. App. B. C. 2, 13. *Οἱ δὲ ἱππεῖς λεγόμενοι, τὴν μὲν ἀξίωσιν τοῦ δήμου καὶ τῆς βουλῆς ὄντες ἐν μέσῳ, δυνατώτατοι δὲ ἐς ἅπαντα, περιουσίας τε οὕνεκα καὶ μισθώσεως τελῶν καὶ φόρων, οὓς ὑπὸ τῶν ἐθνῶν τελουμένους ἐξεμισθοῦντο, καὶ πλήθους βεβαιοτάτων ἐς ταῦτα θεραπόντων.* Cic. pro Planc. 9. Adiungam, si vis, id, quod tu huic obesse etiam putas, patrem publicanum, qui ordo quanto adiumento sit in honore, quis nescit? Flos enim equitum Rom., ornamentum civitatis, firmamentum reipublicae publicanorum ordine continetur. Quis est igitur, qui neget, ordinis eius studium fuisse in honore Plancii singulare? Neque iniuria: vel quod erat pater is, qui est princeps iam diu publicanorum: vel quod is ab sociis unice diligebatur, vel quod diligentissime rogabat, — — — vel quia huius ipsius in illum ordinem summa officia quaesturae tribunatusque constabant: vel quod illi in hoc ornando ordine se ornare et consulere liberis suis arbitrabantur.

2. Erant enim Romanorum in provinciis duo genera, alterum nobilium, qui ante bella civilia soli in magistratibus erant, alterum hominum census equestris, sociorum publicorum vectigalium, utrumque rapax et avarum, suo commodo deditum, despiciens provinciales, sed invidum tamen inter se diligenterque observans, ne alterius injuriis non indigenis — eorum enim pauci et ne hi quidem semper rationem habuerunt — sed alterorum utrorum commodis officeretur.[99]) Accedebat, quod provincialibus nullum praesidium erat et contra publicanos, nisi in proconsule aut propraetore, et contra magistratus Romanos, nisi in publicanis; quodque et illi interdum iniquas exactiones coercere conabantur, et hi, quotiescunque praesides repetundarum accusarentur, testimoniis suis actores caussae iuvabant. Veluti Asiam, quae, oppressa fenore, avaritia et crudelitate publicanorum paene afflicta iam atque eversa, Mithridati tota se dederat,[100]) finito bello fenore circumsripto levare et ab imminente interitu revocare ausus est Lucullus.[101]) Quippe filios suos filiasque virgines sub corona venire viderant, rapi e templis donaria, picturas, simulacra deorum, ad extremum addicti creditoribus, ipsi in servitutem ducti erant. Ad haec omnia genera cruciatuum ac tormentorum, ut vel servitus levamen malorum haberetur. Tam perditis rebus quum et constituto modo fenoris et sublata parte usurarum veterum subvenisset, Romam reversum publicani et ipsi Lucullum infamabant et homines quosdam populares pecunia corruptos contra illum incitabant. Per publicanos aliosque in Africa negotiantes criminatus est Marius Metelli lentitudinem, trahentis iam in tertium annum bellum, et naturalem nobilitatis superbiam.[102]) Iidem testes exstiterunt contra Catilinam repetundarum ex Africa postulatum, eosdemque Gabinius, quum a. 54 repetundarum accusaretur, acerrimos adversarios habuit.[103]) Haec et alia eius generis exempla ad hanc quidem, de qua ago, aetatem non pertinent, sed tamen simultatis inter equites nobilesque provinciarum praesides caussam satis declarant. Itaque praesidem ita versari, ut et publicanis satisfaceret, praesertim publicis male redemtis, et socios perire non sineret, divinae cuiusdam esse, ut ait Cicero, virtutis videbatur. Qui si erat infestus publicanis, non modo non

---

[99]) Non commemoro hic Verrem eiusque similes, sed ad universam nobilitatem pertinuit illud repetundarum crimen cf. Drum. 3, 86. 89. Etiam Cicero Appium, quem multis locis testatur totam fere provinciam evertisse, quum is a Dolabella accusaretur, ope sua adiuvit, quia ipse illi non inimicus erat. Jus autem ipsum et immerita provinciae calamitas ne ita quidem Ciceronem tetigisse videntur, ut eius rei mentionem faciendam esse putaret. cf. Cicero ad Att. 6, 2, 20. Caelii ep. ad fam. 8, 7. et responsum ib. 2, 13.

[100]) Plut. Lucull. 7.

[101]) id. c. 20. *Λούκουλλος δὲ τρέπεται πρὸς τὰς ἐν Ἀσίᾳ πόλεις, ὅπως, τῶν πολεμικῶν ἔργων σχολάζοντος αὐτοῦ, καὶ δίκης τινὸς μετάσχῃ καὶ θεσμῶν, ὧν ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐνδεῆ τὴν ἐπαρχίαν οὖσαν ἄῤῥητοι καὶ ἄπιστοι δυστυχίαι κατεῖχον, ὑπὸ τῶν τελωνῶν καὶ τῶν δανειστῶν πορθουμένην καὶ ἀνδραποδιζομένην, πιπράσκειν ἰδίᾳ μὲν υἱοὺς εὐπρεπεῖς, θυγατέρας τε παρθένους, δημοσίᾳ δ' ἀναθήματα, γραφὰς, ἱεροὺς ἀνδριάντας ἀναγκαζομένων· αὐτοῖς τε τέλος μὲν ἦν προσθέτοις γενομένοις δουλεύειν. κ. τ. λ.* De provinciarum calamitate cf. Hegewisch Über d. Röm. Finanz. c. VII.

[102]) Vellei. 2, 11, 2.

[103]) De Catilina v. Ascon. ad or. in tog. cand. p. 86. Or., de Gabinio Drumann Gesch. Roms 3, p. 53. sqq.

[104]) Cicero ad Att. 5, 21.

iuvare eos in pecuniis exigendis,[104]) sed ius eis non dicere, pactiones rescindere, vectigales et stipendiarios liberare, denique servos publicanorum[105]) quoque modo impedire potuit. Quae omnia a Gabinio facta a Cicerone narrantur.[106])

3. In hoc autem nobilium publicanorumque dissidio, orto illo in provinciis, in ipsa urbe continuato atque aucto, obscurum est, ab utra parte steterint equites Romani, qui et habebant equum publicum, et in centuriis equitum erant. Quos maximam partem nobilitatis senatores, eorumque liberos continuisse, supra demonstravi, neque tamen eosdem eiusmodi negotiis, a quibus non omnes legibus arcebantur, abstinuisse est verisimile. Ad quam quaestionem solvendam fortasse aliquid auxilii peti potest ex ea narratione, quam de C. Claudio, T. Sempronio censoribus anni 169 a. Ch. n. habet Livius 43, 16. „In equitibus recensendis, inquit, tristis admodum eorum atque aspera censura fuit: multis equos ademerunt. In ea re quum equestrem ordinem (id est equites equo publico)[107]) offendissent, flammam invidiae adiecere edicto, quo edixerunt, ne quis eorum, qui Q. Fulvio A. Postumio censoribus (hi proximi censores fuerant a. 174) publica vectigalia aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet sociusve aut adfinis eius conductionis esset. Saepe id querendo veteres publicani quum impetrare nequissent ab senatu, ut modum potestati censoriae imponerent, tandem tribunum plebis, P. Rutilium, ex rei privatae contentione iratum censoribus patronum caussae nacti sunt. — — — Hinc contentione orta, quum veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repente sub unius tribuni nomine promulgatur: quae publica vectigalia, ultro tributa C. Claudius et T. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset; de integro locarentur, et ut omnibus redimendi et conducendi promiscue ius esset." — Dissuadentibus in concione rogationem censoribus tribunus diem dixit et utrique censori perduellionem se iudicare pronuntiavit. Censores non recusaverunt iudicium populi. — „Prior Claudius caussam dixit: et, quum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multaeque aliae primae classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi, anulis aureis positis, vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent." Hunc locum interpretes corruptum esse putant, proque XII centuriis, quas omnes libri habent, legi volunt XVIII. Sed non viderunt tria hic genera hominum distingui, primum publicanorum ipsorum, qui secum duxerunt multas illas primae classis centurias, quas Livius dicit, erant enim in his centuriis, quia censum equestrem habebant: secundum equitum equo publico, qui in XII centuriis erant, stabantque a

---

[105]) De custodiis publicanorum, i. e. servis, qui curam habebant portoriorum maritimorum et terrestrium v. Garat. ad Cic. de pr. cons. 5.

[106]) Cicero de prov. cons. 5.

[107]) Neque enim aliud intelligi potest hac aetate, isque constans Livii usus est. cf. Liv. 9, 38. et alios locos, quos laudavi c. 4, §. 3 not. 44. §. 4 n. 67. 74. lib. IV, c. 3.

2. Erant enim Romanorum in provinciis duo genera, alterum nobilium, qui ante bella civilia soli in magistratibus erant, alterum hominum census equestris, sociorum publicorum vectigalium, utrumque rapax et avarum, suo commodo deditum, despiciens provinciales, sed invidum tamen inter se diligenterque observans, ne alterius injuriis non indigenis — eorum enim pauci et ne hi quidem semper rationem habuerunt — sed alterorum utrorum commodis officeretur.[99]) Accedebat, quod provincialibus nullum praesidium erat et contra publicanos, nisi in proconsule aut propraetore, et contra magistratus Romanos, nisi in publicanis; quodque et illi interdum iniquas exactiones coercere conabantur, et hi, quotiescunque praesides repetundarum accusarentur, testimoniis suis actores caussae iuvabant. Veluti Asiam, quae, oppressa fenore, avaritia et crudelitate publicanorum paene afflicta iam atque eversa, Mithridati tota se dederat,[100]) finito bello fenore circumsripto levare et ab imminente interitu revocare ausus est Lucullus.[101]) Quippe filios suos filiasque virgines sub corona venire viderant, rapi e templis donaria, picturas, simulacra deorum, ad extremum addicti creditoribus, ipsi in servitutem ducti erant. Ad haec omnia genera cruciatuum ac tormentorum, ut vel servitus levamen malorum haberetur. Tam perditis rebus quum et constituto modo fenoris et sublata parte usurarum veterum subvenisset, Romam reversum publicani et ipsi Lucullum infamabant et homines quosdam populares pecunia corruptos contra illum incitabant. Per publicanos aliosque in Africa negotiantes criminatus est Marius Metelli lentitudinem, trahentis iam in tertium annum bellum, et naturalem nobilitatis superbiam.[102]) Iidem testes exstiterunt contra Catilinam repetundarum ex Africa postulatum, eosdemque Gabinius, quum a. 54 repetundarum accusaretur, acerrimos adversarios habuit.[103]) Haec et alia eius generis exempla ad hanc quidem, de qua ago, aetatem non pertinent, sed tamen simultatis inter equites nobilesque provinciarum praesides caussam satis declarant. Itaque praesidem ita versari, ut et publicanis satisfaceret, praesertim publicis male redemtis, et socios perire non sineret, divinae cuiusdam esse, ut ait Cicero, virtutis videbatur. Qui si erat infestus publicanis, non modo non

---

99) Non commemoro hic Verrem eiusque similes, sed ad universam nobilitatem pertinuit illud repetundarum crimen cf. Drum. 3, 86. 89. Etiam Cicero Appium, quem multis locis testatur totam fere provinciam evertisse, quum is a Dolabella accusaretur, ope sua adiuvit, quia ipse illi non inimicus erat. Jus autem ipsum et immerita provinciae calamitas ne ita quidem Ciceronem tetigisse videntur, ut eius rei mentionem faciendam esse putaret. cf. Cicero ad Att. 6, 2, 20. Caelii ep. ad fam. 8, 7. et responsum ib. 2, 13.

100) Plut. Lucull. 7.

101) id. c. 20. *Λούκουλλος δὲ τρέπεται πρὸς τὰς ἐν Ἀσίᾳ πόλεις, ὅπως, τῶν πολεμικῶν ἔργων σχολάζοντος αὐτοῦ, καὶ δίκης τινὸς μετάσχῃ καὶ θεσμῶν, ὧν ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐνδεῆ τὴν ἐπαρχίαν οὖσαν ἄῤῥητοι καὶ ἄπιστοι δυστυχίαι κατεῖχον, ὑπὸ τῶν τελωνῶν καὶ τῶν δανειστῶν πορθουμένην καὶ ἀνδραποδιζομένην, πιπράσκειν ἰδίᾳ μὲν υἱοὺς εὐπρεπεῖς, θυγατέρας τε παρθένους, δημοσίᾳ δ' ἀναθήματα, γραφάς, ἱεροὺς ἀνδριάντας ἀναγκαζομένων· αὐτοῖς τε τέλος μὲν ἦν προσθέτοις γενομένοις δουλεύειν. κ. τ. λ.* De provinciarum calamitate cf. Hegewisch Über d. Röm. Finanz. c. VII.

102) Vellei. 2, 11, 2.

103) De Catilina v. Ascon. ad or. in tog. cand. p. 86. Or., de Gabinio Drumann Gesch. Roms 3, p. 53. sqq.

104) Cicero ad Att. 5, 21.

iuvare eos in pecuniis exigendis,[104]) sed ius eis non dicere, pactiones rescindere, vectigales et stipendiarios liberare, denique servos publicanorum[105]) quoque modo impedire potuit. Quae omnia a Gabinio facta a Cicerone narrantur.[106])

3. In hoc autem nobilium publicanorumque dissidio, orto illo in provinciis, in ipsa urbe continuato atque aucto, obscurum est, ab utra parte steterint equites Romani, qui et habebant equum publicum, et in centuriis equitum erant. Quos maximam partem nobilitatis senatores, eorumque liberos continuisse, supra demonstravi, neque tamen eosdem eiusmodi negotiis, a quibus non omnes legibus arcebantur, abstinuisse est verisimile. Ad quam quaestionem solvendam fortasse aliquid auxilii peti potest ex ea narratione, quam de C. Claudio, T. Sempronio censoribus anni 169 a. Ch. n. habet Livius 43, 16. „In equitibus recensendis, inquit, tristis admodum eorum atque aspera censura fuit: multis equos ademerunt. In ea re quum equestrem ordinem (id est equites equo publico)[107]) offendissent, flammam invidiae adiecere edicto, quo edixerunt, ne quis eorum, qui Q. Fulvio A. Postumio censoribus (hi proximi censores fuerant a. 174) publica vectigalia aut ultro tributa conduxissent, ad hastam suam accederet sociusve aut adfinis eius conductionis esset. Saepe id querendo veteres publicani quum impetrare nequissent ab senatu, ut modum potestati censoriae imponerent, tandem tribunum plebis, P. Rutilium, ex rei privatae contentione iratum censoribus patronum caussae nacti sunt. — — — Hinc contentione orta, quum veteres publicani se ad tribunum contulissent, rogatio repente sub unius tribuni nomine promulgatur: quae publica vectigalia, ultro tributa C. Claudius et T. Sempronius locassent, ea rata locatio ne esset; de integro locarentur, et ut omnibus redimendi et conducendi promiscue ius esset." — Dissuadentibus in concione rogationem censoribus tribunus diem dixit et utrique censori perduellionem se iudicare pronuntiavit. Censores non recusaverunt iudicium populi. — „Prior Claudius caussam dixit: et, quum ex duodecim centuriis equitum octo censorem condemnassent, multaeque aliae primae classis, extemplo principes civitatis in conspectu populi, anulis aureis positis, vestem mutarunt, ut supplices plebem circumirent." Hunc locum interpretes corruptum esse putant, proque XII centuriis, quas omnes libri habent, legi volunt XVIII. Sed non viderunt tria hic genera hominum distingui, primum publicanorum ipsorum, qui secum duxerunt multas illas primae classis centurias, quas Livius dicit, erant enim in his centuriis, quia censum equestrem habebant: secundum equitum equo publico, qui in XII centuriis erant, stabantque a

105) De custodiis publicanorum, i. e. servis, qui curam habebant portoriorum maritimorum et terrestrium v. Garat. ad Cic. de pr. cons. 5.

106) Cicero de prov. cons. 5.

107) Neque enim aliud intelligi potest hac aetate, isque constans Livii usus est. cf. Liv. 9, 38. et alios locos, quos laudavi c. 4, §. 3 not. 44. §. 4 n. 67. 74. lib. IV, c. 3.

publicanis, ad quos sine dubio ipsi magnam partem pertinebant: tertium senatorum nobiliumque, quos principes civitatis appellat, qui soli dici possunt vestem mutare, faciebantque cum censoribus contra publicanos. Hi quum, ut supra docui [108]) et ipsi in centuriis equitum essent, ex duodecim centuriis autem maxima pars ipsis adversaretur, nisi egregie fallor, in reliquis illis centuriis fuisse putandi sunt, quae sex suffragia appellantur, praesertim, quum et discrimen, quod ab initio inter has reliquasque centurias fuit, usque ad extrema tempora reipublicae liberae in comitiis centuriatis servatum sit, neque alienum sit a vero, nobiles, ut cetera patriciorum veterum privilegia arripere studuerunt, sic principem hunc in comitiis locum [109]) sibi ipsis vindicasse.

Liber II.

A C. Graccho usque ad Augustum.

Cap. I.

Ordo equester ab ordine senatorio separatus.

Trium fere seculorum spatio, quod inter Veiorum oppugnationem et Gracchorum aetatem interiacet, primum institutis privatis stipendiis equestribus, tum crescentibus publicanorum opibus, deinde auctis iis, qui equis privatis mererent, quum equites equo p. eodem semper numero essent, denique provincialibus publicanorum magistratuumque discordiis factum erat, ut et negotiorum societate et communi in nobiles odio equites inter se coniungerentur, a senatu autem, a quo ab initio contra plebeios steterant, averterentur. Distractio partium autem perfecta est duabus potissimum rebus, senatorum e centuriis equitum exclusione et C. Gracchi lege iudiciaria.

1. Laudatum est supra fragmentum Ciceronis libri de republica quarti: „Quam commode ordines desripti, aetates, classes, equitatus, in quo suffragia etiam sunt senatus: nimis multis iam stulte hanc utilitatem tolli cupientibus, qui novam largitionem quaerunt aliquo plebiscito reddendorum equorum“. Quae Niebuhrius Hist. Rom. I, p. 487 ed. tert. egregie animadvertit ita sub persona Africani proferri, ut res, quae hic a nonnullis tentari dicitur, paullo post facta esse putari debeat, id est paullo post C. Sempronium et M'. Aquillium Coss. (a. a. Chr. n. 129), et eius mutationis instantis

---

108) v. cap. II. §. 2.

109) v. not. 21. cf. l. II. cap. 1, §. 4.

sensum et reprehensionem a Cicerone Africano tributam esse. [1]) Utilitatem autem quantam esse in coniunctis equitum senatorumque suffragiis putaverit Cicero, e multis locis apparet, quibus reconciliatorum inter se ordinum se ipse auctorem dicit, docetque sequentium historia temporum; quibus autem de caussis utilitas illa sublata sit, ne coniectura quidem certa assequi licet. Hoc tamen apparet, equum publicum, quem retinere oportebat eos, qui erant in centuriis equitum, [2]) equitibus oneri fuisse, quare et Aebutio, Bacchanalium indici, praemii loco datum accepimus, „ne invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret, [3]) et ab Augusto nonnullis beneficii loco reddendi equi venia data est. [4]) Quod onus difficilius eos tulisse necesse est, quibus, ad altiorem aut magistratus aut senatus honorem provectis, equus honoris insigne esse desierat, quam iis, qui in dignitate equestri remanerent. Aera equestria autem utrique frustra accipiebant, quae ad eos transferri iustum erat, qui, quia militabant, digniores illis ope publica erant. Quae quum ita sint, duae quaestiones oriuntur, altera, utrum haec largitio equorum reddendorum ad senatores solos, an ad omnes, qui annos XLV expleverint, decemque stipendia fecerint, [5]) equites sit referenda, altera, num haec res ad eam comitiorum centuriatorum mutationem pertineat, quam incerto tempore factam esse scimus. [6]) Ac Ciceronianus quidem ille Scipio, quamvis de senatoribus loquatur, tamen iis verbis utitur, quae alteram explicationem non excludant, [7]) et Ciceronis aetate non modo eos, qui exactis stipendiis equestribus senatores fiebant, [8]) equum reddidisse, sed omnino in centuriis equitum iuniores tantum fuisse pro certo haberi potest. [9]) Itaque si quis Ciceronem h. l. senatores solos intelligere putet, eum paullo post ita repetitam esse eam legem existimare necesse est, ut etiam ceteros seniores complecteretur. Comitiorum autem mutatio, ut ad equites omnino non pertinuit (nam equites equo p. etiam Ciceronis tempore in suis centuriis suoque

---

1) Verba sunt Madvigii opp. p. 76.

2) Nemo enim erat in his centuriis, nisi qui equum publicum haberet. De qua re v. Madv. l. l. Idem etiam Cicero testatur, qui, quum Phil. 6, 5 dixisset Antonium ab equitibus equo publico patronum appellatum esse, alio loco Phil. 7, 6. eundem dicit patronum centuriarum equitum Romanorum. V. totum locum et cf. Morcelli de stilo inscr. I, p. 91.

3) Liv. 29, 19, 4.

4) Suet. Oct. 38.

5) Haec enim facienda erant equitibus. Polyb. 6, 19, 2. Plut. C. Gracch. 2. Liv. 27, 11. eaque expleri poterant intra quadragesimum quintum annum. Nieb. I. p. 706.

6) Liv. 1, 43. Dion. Hal. 4, 21. p. 689. *οὗτος ὁ κόσμος τοῦ πολιτεύματος ἐπὶ πολλὰς διέμεινε γενεὰς φυλαττόμενος ὑπὸ Ῥωμαίων. ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς κεκίνηται χρόνοις καὶ μεταβέβληται εἰς τὸ δημοτικώτερον ἀνάγκαις τισὶ βιασθεὶς ἰσχυραῖς, οὐ τῶν λόχων καταλυθέντων, ἀλλὰ τῆς κλήσεως αὐτῶν οὐκ ἔτι τὴν ἀρχαίαν ἀκρίβειαν φυλαττούσης.*

7) Madv. p. 81.

8) Sic Pompeius eo anno, quum primum consul esset, equum ad censores adduxit. Plut. Pompei. 22.

9) V. infra lib. III, c. 3, §. 3. Madv. p. 80. Plut. C. Gracch. 2. *ἐστρατεῦσθαι γὰρ ἔφη δώδεκα ἔτη τῶν ἄλλων δέκα στρατευομένων ἐν ἀνάγκαις.* Plut. Pompej. 22. *ἔθος γάρ ἐστι Ῥωμαίων τοῖς ἱππεῦσιν, ὅταν στρατεύσωνται τὸν νόμιμον χρόνον, ἄγειν εἰς ἀγορὰν τὸν ἵππον ἐπὶ τοὺς δύο ἄνδρας, οὓς τιμητὰς καλοῦσι, καὶ καταριθμησαμένους τῶν στρατηγῶν καὶ αὐτοκρατόρων ἕκαστον, ὑφ' οἷς ἐστρατεύσαντο, καὶ διδόντας εὐθύνας τῆς στρατείας, ἀφίεσθαι — — — εἶτα ὁ μὲν πρεσβύτερος (τῶν τιμητῶν) ἠρώτησε· Πυνθάνομαί σου, ὦ Πομπήϊε Μάγνε, εἰ πάσας ἐστράτευσαι τὰς κατὰ νόμον στρατείας; Πομπήϊος δὲ μεγάλῃ φωνῇ· Πάσας, εἶπεν, ἐστράτευμαι καὶ πάσας ὑπ' ἐμαυτῷ αὐτοκράτορι. — — ἀναστάντες οἱ τιμηταὶ προέπεμπον αὐτὸν οἴκαδε.* Nonius s. v. Caballus: In castris permansi, inde caballum reduxi ad censorem.

publicanis, ad quos sine dubio ipsi magnam partem pertinebant: tertium senatorum nobiliumque, quos principes civitatis appellat, qui soli dici possunt vestem mutare, faciebantque cum censoribus contra publicanos. Hi quum, ut supra docui [108]) et ipsi in centuriis equitum essent, ex duodecim centuriis autem maxima pars ipsis adversaretur, nisi egregie fallor, in reliquis illis centuriis fuisse putandi sunt, quae sex suffragia appellantur, praesertim, quum et discrimen, quod ab initio inter has reliquasque centurias fuit, usque ad extrema tempora reipublicae liberae in comitiis centuriatis servatum sit, neque alienum sit a vero, nobiles, ut cetera patriciorum veterum privilegia arripere studuerunt, sic principem hunc in comitiis locum [109]) sibi ipsis vindicasse.

Liber II.
A C. Graccho usque ad Augustum.

Cap. I.
Ordo equester ab ordine senatorio separatus.

Trium fere seculorum spatio, quod inter Veiorum oppugnationem et Gracchorum aetatem interiacet, primum institutis privatis stipendiis equestribus, tum crescentibus publicanorum opibus, deinde auctis iis, qui equis privatis mererent, quum equites equo p. eodem semper numero essent, denique provincialibus publicanorum magistratuumque discordiis factum erat, ut et negotiorum societate et communi in nobiles odio equites inter se coniungerentur, a senatu autem, a quo ab initio contra plebeios steterant, averterentur. Distractio partium autem perfecta est duabus potissimum rebus, senatorum e centuriis equitum exclusione et C. Gracchi lege iudiciaria.

1. Laudatum est supra fragmentum Ciceronis libri de republica quarti: „Quam commode ordines desripti, aetates, classes, equitatus, in quo suffragia etiam sunt senatus: nimis multis iam stulte hanc utilitatem tolli cupientibus, qui novam largitionem quaerunt aliquo plebiscito reddendorum equorum“. Quae Niebuhrius Hist. Rom. I, p. 487 ed. tert. egregie animadvertit ita sub persona Africani proferri, ut res, quae hic a nonnullis tentari dicitur, paullo post facta esse putari debeat, id est paullo post C. Sempronium et M'. Aquillium Coss. (a. a. Chr. n. 129), et eius mutationis instantis

---

108) v. cap. II. §. 2.

109) v. not. 21. cf. l. II. cap. 1, §. 4.

sensum et reprehensionem a Cicerone Africano tributam esse. [1]) Utilitatem autem quantam esse in coniunctis equitum senatorumque suffragiis putaverit Cicero, e multis locis apparet, quibus reconciliatorum inter se ordinum se ipse auctorem dicit, docetque sequentium historia temporum; quibus autem de caussis utilitas illa sublata sit, ne coniectura quidem certa assequi licet. Hoc tamen apparet, equum publicum, quem retinere oportebat eos, qui erant in centuriis equitum, [2]) equitibus oneri fuisse, quare et Aebutio, Bacchanalium indici, praemii loco datum accepimus, „ne invitus militaret, neve censor ei equum publicum assignaret, [3]) et ab Augusto nonnullis beneficii loco reddendi equi venia data est. [4]) Quod onus difficilius eos tulisse necesse est, quibus, ad altiorem aut magistratus aut senatus honorem provectis, equus honoris insigne esse desierat, quam iis, qui in dignitate equestri remanerent. Aera equestria autem utrique frustra accipiebant, quae ad eos transferri iustum erat, qui, quia militabant, digniores illis ope publica erant. Quae quum ita sint, duae quaestiones oriuntur, altera, utrum haec largitio equorum reddendorum ad senatores solos, an ad omnes, qui annos XLV expleverint, decemque stipendia fecerint, [5]) equites sit referenda, altera, num haec res ad eam comitiorum centuriatorum mutationem pertineat, quam incerto tempore factam esse scimus. [6]) Ac Ciceronianus quidem ille Scipio, quamvis de senatoribus loquatur, tamen iis verbis utitur, quae alteram explicationem non excludant, [7]) et Ciceronis aetate non modo eos, qui exactis stipendiis equestribus senatores fiebant, [8]) equum reddidisse, sed omnino in centuriis equitum iuniores tantum fuisse pro certo haberi potest. [9]) Itaque si quis Ciceronem h. l. senatores solos intelligere putet, eum paullo post ita repetitam esse eam legem existimare necesse est, ut etiam ceteros seniores complecteretur. Comitiorum autem mutatio, ut ad equites omnino non pertinuit (nam equites equo p. etiam Ciceronis tempore in suis centuriis suoque

---

1) Verba sunt Madvigii opp. p. 76.

2) Nemo enim erat in his centuriis, nisi qui equum publicum haberet. De qua re v. Madv. l. l. Idem etiam Cicero testatur, qui, quum Phil. 6, 5 dixisset Antonium ab equitibus equo publico patronum appellatum esse, alio loco Phil. 7, 6. eundem dicit patronum centuriarum equitum Romanorum. V. totum locum et cf. Morcelli de stilo inscr. I, p. 91.

3) Liv. 29, 19, 4.

4) Suet. Oct. 38.

5) Haec enim facienda erant equitibus. Polyb. 6, 19, 2. Plut. C. Gracch. 2. Liv. 27, 11. eaque expleri poterant intra quadragesimum quintum annum. Nieb. 1. p. 706.

6) Liv. 1, 43. Dion. Hal. 4, 21. p. 689. *οὗτος ὁ κόσμος τοῦ πολιτεύματος ἐπὶ πολλὰς διέμεινε γενεὰς φυλαττόμενος ὑπὸ Ῥωμαίων. ἐν δὲ τοῖς καθ' ἡμᾶς κεκίνηται χρόνοις καὶ μεταβέβληται εἰς τὸ δημοτικώτερον ἀνάγκαις τισὶ βιασθεὶς ἰσχυραῖς, οὐ τῶν λόχων καταλυθέντων, ἀλλὰ τῆς κλήσεως αὐτῶν οὐκ ἔτι τὴν ἀρχαίαν ἀκρίβειαν φυλαττούσης.*

7) Madv. p. 81.

8) Sic Pompeius eo anno, quum primum consul esset, equum ad censores adduxit. Plut. Pompei. 22.

9) V. infra lib. III, c. 3, §. 3. Madv. p. 80. Plut. C. Gracch. 2. *ἐστρατεῦσθαι γὰρ ἔφη δώδεκα ἔτη τῶν ἄλλων δέκα στρατευομένων ἐν ἀνάγκαις.* Plut. Pompej. 22. *ἔθος γάρ ἐστι Ῥωμαίων τοῖς ἱππεῦσιν, ὅταν στρατεύσωνται τὸν νόμιμον χρόνον, ἄγειν εἰς ἀγορὰν τὸν ἵππον ἐπὶ τοὺς δύο ἄνδρας, οὓς τιμητὰς καλοῦσι, καὶ καταριθμησαμένους τῶν στρατηγῶν καὶ αὐτοκρατόρων ἕκαστον, ὑφ' οἷς ἐστρατεύσαντο, καὶ διδόντας εὐθύνας τῆς στρατείας, ἀφίεσθαι — — — εἶτα ὁ μὲν πρεσβύτερος* (*τῶν τιμητῶν*) *ἠρώτησε· Πυνθάνομαί σου, ὦ Πομπήϊε Μάγνε, εἰ πάσας ἐστράτευσαι τὰς κατὰ νόμον στρατείας; Πομπήϊος δὲ μεγάλῃ φωνῇ· Πάσας, εἶπεν, ἐστράτευμαι καὶ πάσας ὑπ' ἐμαυτῷ αὐτοκράτορι. — — ἀναστάντες οἱ τιμηταὶ προέπεμπον αὐτὸν οἴκαδε.* Nonius s. v. Caballus: In castris permansi, inde caballum reduxi ad censorem.

loco [10]) suffragia ferebant) sic Scipione multo antiquior, [11]) inter primum secundumque bellum Punicum facta esse videtur. [12]) Illud tamen ab hac fortasse aetate repetendum est, quod etiam equites tributim et eligebantur et censebantur, [13]) nisi forte quis hunc morem ad Serviana tempora ipsa referre maluerit. [14]) Ut hoc unum addam, apparet, tamdiu tantum vim nobilium in comitiis magnam fuisse, quamdiu regnarent in centuriis equitum, in quibus suffragia ferebant; postquam autem alia equites, alia nobiles censere coeperunt, cuius exemplum ex anno 169 a. Chr. n. supra attuli, [15]) concordia ea, qua olim pollebant, sublata, commodius optimatibus esse debuit, per tribus suas dispartitos multis locis suffragia ferre, quam in iis, in quibus iam nihil valebant, centuriis. Quam ob rem fieri potuit, ut, quamvis postea omnes seniores e centuriis equitum in centurias seniorum primae classis transscriberentur, tamen initium eius rei factum sit a nobilibus, eiusque non minima caussa fuerit ordinum is dissensus, ex qua Gracchorum potissimum opera inimicitiae primum graves, postremo bellum civile crudelissimum ortum est.

2. Ceterum, quum Tib. Gracchus a. 133 legem agrariam promulgaret, ne quis ex publico agro plus quam quingenta iugera possideret, coniuncti etiamtum erant equites et senatores; utrique et agros publicos possidebant, [16]) et contra legem eam summa vi nitebantur. Itaque qui ab auctoribus harum rerum divites, optimates, *πλούσιοι, κτηματικοὶ* appellantur, [17]) intelligendi sunt tam senatores quam equites Romani. [18]) Non fugit tamen Gracchos, iam inter utrosque iacta esse semina discordiarum, quibus auctis factoque earum dissidio fore sperabant, ut et optimatium vires imminuerentur et suis consiliis magnum adiumentum accederet. Sicuti autem initium eius discordiae, sic incrementum etiam in provinciis erat, quarum calamitas avaritia magistratuum et iniuriis a. 150 a. Chr. n. usque adeo aucta erat, ut eo

---

10) Certe sex suffragia post primam classem vocata esse probari non potest. cf. lib. I. n. 21. Huschke p. 612.

11) Hoc inter omnes constat. v. Madv. p. 81. not. Zumpt. über d. Abstimmung d. Röm. Volcks in Centuriatcomitien p. 18. Huschke l. l. p. 623. et quos laudat.

12) v. elegantem Fr. Dor. Gerlachii libellum Die Verfassung des Serv. Tullius in ihrer Entwickelung. Basel. 1837. ex cuius rationibus mutatio illa facta est C. Aemilio et C. Flaminio censoribus i. e. a. 220. a. Chr. n. V. l. l. p. 41.

13) Liv. 29, 37. Equitum deinde census agi coeptus est. — — Quum ad tribum Polliam ventum est et praeco cuntaretur citare ipsum censorem, Cita, inquit Nero, M. Livium. — — — Item M. Livius, quum ad tribum Arniensem et nomen collegae ventum est, vendere equum C. Claudium jussit. cf. Duk. h. l. Manut. de Civ. Rom. p. 33. Cic. de legg. 3, 3. populique partes in tribus distribunto, exin pecunias, aevitates, ordines partiunto.

14) Contra hanc sententiam inter illa argumentum peti potest e numero equitum legionariorum, quem eo tempore demum, quum tributa comitia invalescerent, a trecenis ad quadringenos auctum esse non sine veri quadam specie coniicit Huschkius p. 67, quem vide.

15) Liv. 43, 16.

16) Possesionum illarum caussa multi equites in municipiis vivebant, de quibus vide l. IV.

17) Plut. Tib. Gracchus 10. 11. 12. 18. Appian. B. C. 1, 7. 10. 11. 14. 18. saepius.

18) Liv. epit. 58. quum legem ferret adversus voluntatem senatus et equestris ordinis. Plut. C. Gracch. 14. *ἐκεῖνον (Ὀπιμίον) δὲ προειπόντος ἐπὶ τὰ ὅπλα χωρεῖν τοὺς συγκλητικοὺς καὶ τῶν ἱππέων ἑκάστῳ παράγγελμα δόντος.* Liv. ep. 60. C. Gracchus tertiam (legem tulit), qua equestrem ordinem, tunc cum senatu consentientem, corrumperet.

anno prima quaestio perpetua rerum repetundarum institueretur. Accidit autem, ut paullo ante C. Gracchi tribunatum tres caussae agerentur, quae propter venalem animum iudicum, qui tum temporis e senatoribus omnes erant, indignamque reorum impunitatem indignationem omnium in se converterent. [19]) Quas omnes ad provincias pertinuisse ex una caussa Aquilii intelligitur, qui occupata Asia corruptus a Mithridate, patre magni Mithridatis, Phrygiam illi dederat, accusatus autem Romae repetundarum criminisque convictus, a corruptis iudicibus absolutus est. [20]) Sine dubio in his caussis, ut in huiusmodi omnibus, publicani Asiani testimonio actorem adiuverunt, eoque dissidio ordinum ita usus est C. Gracchus, ut id, cuius consilium frater ceperat, [21]) exsecutus, ab optimatibus, invidia harum caussarum oppressis, ad equites, quorum iisdem caussis auctoritas creverat, iudicia transferret. [22]) Postquam autem ad hos iudicia pervenerunt, tum primum et ordo equester exstitit et statim ab initio tantas vires cepit, ut iam non nobilitatis, a qua defecerat, auctoritati cedens, rei popularis adiumentum ingens evaderet.

3. Ordo enim equester ab initio esse non potuit, quia diversus non erat ab ordine senatorum, quum et senatus et liberi senatorum equitibus continerentur, ut, si qui scriptores historiae eius aevi ordinem equestrem commemorant, parum accurate loquuti esse censendi sint. [23]) Ne tum quidem, quum Veiis oppugnatis quoddam novum genus existeret equitum militarium, ut dicit Asconius personatus, [24]) i. e. qui non honorem equi haberent, sed stipendia tantum equis facerent, coniuncti quodam certo ordinis vinculo erant. Immo ordinis appellatio ad publicanos pertinebat, quorum ab antiquissimo tempore corpus et ordo erat, [25]) ad eumque ordinem nomen equestre paullo post Gracchos pervenit. Gracchani autem iudices neque anulum aureum, neque equum publicum habebant, sed erant in anulo ferreo, equis suis merebant, nominabantur autem iudices, [26]) eorumque flos erat in publicanis. [27]) Inter quos si qui

---

19) App. B. C. 1, 22.

20) id. l. l. bell. Mithr. 12, 57. Cic. divin. 21, 69.

21) Plut. Tib. Gracch. 16. Dio. fr. 88. cf. Drumanni Gesch. Roms 2, p. 490.

22) Gracchos iudicia solis equitibus tradidisse produnt Vellei. 2, 32, 3. Appian. B. C. 1, 22. Pseudo-Ascon. in Divin. p. 103. Or. Cic. Verr. 1, 13, 38 et Pseudo-Ascon. ad h. l. p. 143 Or. Tacit. Ann 12, 60. Florus 3, 13, 17. Ab his qui recedunt, Plutarchus v. C. Gracchi 5, Tib. Gracch. 16 et Livius ep. 60, confudisse videntur legem Liviam cum Sempronia. Cf. Walter G. d. R. R. p. 244. Hos iudices ut antea senatores et privatas et publicas caussas iudicasse et testimoniis veterum constat, (v. Polyb. 6, 17) et eo, quod nullum est apud eosdem separatorum horum iudiciorum indicium. v. Madv. de tribb. aerar. p. 4 n. 1, Wittich de Sulla p. 158. Ceterum quae hic et de Gracchanis iudicibus et de ceteris, qui fuerunt ante Sullam, satis verbose p. 153 sqq. disputavit, ea maximam partem falsa esse existimo.

23) v. l. IV, c. 3.

24) Pseudo-Asc. ad. Div. p. 102 Or. appellatio non inepta, quanquam locus corruptus est.

25) Dirksen Civ. Abh. I. p. 45.

26) Plin. H. N. 33, 7. Anuli distinxere alterum ordinem a plebe — (hoc ad Tiberii tempora pertinere, Plinius ipse postea docet.) — — Quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniae (iudices) tribuunt. — Nec pridem est factum. Divo Augusto decurias ordinante, maior pars iudicum in ferreo anulo fuit, iique non equites, sed iudices vocabantur. Equitum nomen subsistebat in turmis equorum publicorum. Ceterum etiam horum „qui ad equitatum trahebantur," nomen variatum esse,

fuerunt, qui in centuriis quoque essent equitum, quod fieri potuisse non nego, hi tamen et pauci erant et a nobilitate alieni. Ceterorum dignitas in censu versabatur, de quo, ut postea lege Roscia, sic tum temporis Sempronia lege cautum fuisse apparet, quanquam nunc, quid de eo constitutum fuerit, difficile diiudicatur. Sed de hoc paullo infra dicam, hic illud tamen tenendum est, ordinem equestrem, ortum Gracchanis legibus, plane diversum fuisse a centuriis equitum, ex quibus pauci tantum iique soli, qui cum senatoriis partibus non essent coniuncti, in iudicum numero esse poterant. Nam etiam postquam senatores, ut docui, iam non in iis centuriis erant, tamen eae cum nobilitate diu cohaerebant, quum novus ille ordo equester medius inter plebem patresque oriretur, tertiaeque in republica partes fierent equites. Inde est, quod Varro dicit apud Nonium s. v. Biceps: G r a c c h u s s e n a t u i n i q u u s e q u e s t r i o r d i n i i u d i c i a t r a d i d i t, a c b i c i p i t e m c i v i t a t e m f e c i t, d i s c o r d i a r u m c i v i l i u m f o n t e m.[28])

4. Quanquam autem Gracchis successerat, ut eos, qui censu equites essent, inter se coniunctos a nobilitate abalienarent, tamen id nequiverunt efficere, ut iidem plebeiorum magis quam ipsorum caussae faverent. Nam equites, tanta potestate subnixi, ut qui facta fortunasque principum habêrent in manu, exilio, multis, infamia potentissimos quosque punirent, provinciarum praesides iudiciorum metu terrerent, ipsi legum vim poenasque contemnerent,[29]) primum interceptis vectigalibus peculari tanquam suo iure rempublicam, tum insolenter et superbe contra senatores se gerere, denique et pecunia corrumpi, et, postquam fructibus his iudiciorum assueverunt, ad contemtissimum quodque genus atque iniustissimum quaestus procedere,[30]) accusatores subornantes adversariis, eosque, quos legibus non poterant, fraude circumvenientes. Tametsi enim Cicero auctor est, prope quinquaginta annos continuos sine

---

alio loco (c. 9.) observat idem Plinius. Primum enim Celeres appellatos, deinde flexumines, postea trossulos. De Celeribus supra dictum: flexuminum nomen, ab equis regendis petitum, a nemine praeter Plinium commemoratur; de trossulis infra dicam explicatius. Cf. tamen de h. l. IV, c. 1, n. 2.

[27]) Id c. 8: Iudicum autem appellatione separari eum ordinem primi omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contumeliam senatus: mox ea debellata, auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substitit et aliquamdiu tertiae vires publicani fuere. — — — Ab illo tempore (Plinius Ciceronis tempus intelligit, non omnino recte, ut infra ostendam) plane hoc tertium corpus in republica factum est, coepitque adiici senatui populoque Romano et equester ordo. Qua de caussa et nunc post populum scribitur, quia novissime coeptus est adiici. Hoc extremum quidem et nummi refellunt, de quibus v. Eckhel. D. N. VI. p. 126 a, et Valer. Probus de notis R. quem l. ille. Poetarum, qui saepe tres illos ordines habent (Ov. Fast. 2, 128. Martial. 8, 15, 2. 8, 50, 7. Statius Sylv. IV, 1, 25. Manilius V. extr. Auson. gryph. 79. in Wernsd. poetis min. Vol. VI.) in hac re nullum est testimonium

[28]) Eadem verba repetit Florus 3, 17, 3.

[29]) Florus 3, 17, 3. cf. Verr. 2, 3, 41. Antea (ante Sullanum aevum), quum equester ordo iudicaret, improbi et rapaces magistratus in provinciis inserviebant publicanis; ornabant eos, qui in operis erant: quemcunque equitem Romanum in provincia viderant, beneficiis ac liberalitate prosequebantur: neque tantum illa res nocentibus proderat, quantum obfuit multis, quum aliquid contra utilitatem eius ordinis voluntatemque fecissent. Retinebatur hoc tum, nescio quomodo, quasi communi consilio ab illis diligenter, ut, qui unum equitem R. contumelia dignum putasset, ab universo ordine malo dignus iudicaretur. . . . . quid enim iam nocere possunt, quibus non licet iudicare?

[30]) App. B. C. 1, 22.

corruptionis suspicione equites iudicasse,[31] tamen in his eum caussae magis suae, quam veritatis rationem habuisse et Appiani testimonium docet,[32] et ex iis, quae postea acciderunt, perspicitur. Crescentibus autem in dies discordiis, ita ut a civili bello non procul abessent, viderenturque quasi numinis cuiusdam ira contra ipsos concitari, qui una hucusque saevierant in provincias, fieri non potuit, quin equitum quoque binae partes essent, quibusdam, ut supra ostendi, cum nobilitate facientibus,[32a] plerisque nobilitati infestis. Atque haec caussa est, quod Sulla, „homo a populi caussa remotissimus et equestri ordini offensus", postquam „pro illa acerbitate proscriptionis, qua usus est in veteres iudices", „pro illo odio, quod habuit in equestrem ordinem",[33] a. 83 a. Chr. n. solo MDC equites interfecit,[34] multo plures bello universo:[35] sequente anno trecentos equites in senatum legit, sed ἐκ τῶν ἀρίστων ἱππέων,[36] i. e. e nobilium filiis, a quibus diserte distinguuntur οἱ καλούμενοι ἱππεῖς,[37] i. e. qui censu sunt equites. Eodem anno Sulla Praeneste obsidente, Samnitibusque improviso impetu opprimere urbem Romam conantibus, obviam his iverunt iuvenes nobiles Appio Claudio duce (Plut. Sull. 29, Drum. 2, p. 466) iidemque, si quid video, in funere Sullae turmatim decurrerunt (App. B. C. 1, 106; cf. l. III. c. 3, §. 3). Contra Marius, cuius partes ordo equester sequebatur,[38] ex quo effecit Antisenatum suum Sulpicius,[39] non paucos equites traditur necavisse,[40] haud dubie eos, qui cum nobilibus coniuncti essent, ut C. ille Numitorius,[41] unus ex posteris Q. Numitorii Pulli, Fregellanorum principis, qui a. 125 praetori L. Opimio, C. Gracchi adversario, coniurationem Fregellanorum aperuerat,[42] cuiusque filia M. Antonio Cretico, viro nobilissimo, nupserat.[43] Ad quae si addideris exemplum Octaviorum, familiae equestris, sed nobilibus deditae, denique Pompeii Magni, qui eques Romanus equo p., Sullae ab initio fuit, post Gracchos ita ordinem equestrem intelliges divisum fuisse, ut vis ordinis atque auctoritas esset penes publicanos iudicantes, sed esset in centuriis maxime equitum quaedam pars, quae nobilitati faveret, cum eaque sanguinis vinculo arcte coniuncta esset. Haec, quo plures novi homines et post iudiciarias leges et per bella civilia nomen equitum sibi sumpserunt, vel venerant etiam in centurias equitum, eo diligentius se

---

31) in Verr. 1, 13; divin. c. 13; Ascon. ad utrumque l.

32) App. B. C. 1, 22, 35, 37.

32a) cf. lib. I. extr.

33) Cic. pro Cluent. 55; cf. p. Rosc. Amer. 48. Videant (optimates Sullani) ne turpe miserumque sit, eos, qui equestrem splendorem ferre non potuerunt, servi nequissimi dominationem ferre posse.

34) App. B. C. 1, 95.

35) ib. 103. Cic. fragm. or. in tog. cand. Ab equestri ordine, quem trucidasti? ad quem locum Ascon. p. 90. Or. Equester ordo pro Cinnanis partibus contra Sullam steterat, multasque pecunias abstulerat: ex quo saccularii erant appellati, atque ob eius rei invidiam post Sullanam victoriam erant interfecti. De discrepantibus historicorum de numero occisorum narrationibus v. Drumannum 2, 473.

36) App. l. l. 100.

37) ib. 95.

38) Scholanon. ad or. pr. Roscio Amer. 47: pro Mariana parte, pro equitibus Romanis.

39) Plut. Sulla 8.

40) App. B. C. 1, 71.

41) ib. 72.

42) Cic. de invent. 2, 34, 105.

43) Cic. Philipp. 3, 6, 17.

separare a ceteris coepit. Inde, qui Praetorio, Consulari, Senatorio genere orti sunt, non, quod erant, equites, sed adolescentes nobiles appellantur, [44]) latum clavum, „qui distinguit ab equite curiam“, [45]) induunt, [46]) his aliisque aperte significantes, se pertinere ad ordinem senatorium. Postremo, quum Augustus liberis senatorum, quo celerius reipublicae adsuescerent, protinus virilem togam, latum clavum induere et curiae interesse permisisset, [47]) etiam lege id, quod usu invaluerat, sanctum novique nonnihil privilegii additum. Sub imperatoribus enim senatorum liberi et senatum frequentabant et latum clavum habebant et ab equitibus etiam nomine destinguebantur.[48]) De quo suo loco dicetur amplius.

Cap. II.

Controversiae de iudiciis usque ad Sullam.

1. **H**aec paullo altius repetenda videbantur, quum et deficientibus historicorum testimoniis ex eventu rerum, qualis res ipsae fuerint, coniiciendum sit, et ad historiam bellorum civilium recte intelligendam, quales quaeque reipublicae partes fuerint, probe sit tenendum. Dicunt eo tempore, quum Tiberius Gracchus interfectus esset, Scipionem in Hispania Celtiberum quendam, Tiresum nomine, interrogasse, quibus potissimum caussis factum esse putaret, ut et tamdiu resisteret Numantia, et postremo

---

44) Cic. Philipp. 2, 7. Quis enim eques Romanus, quis, praeter te, adolescens nobilis, quis ullius ordinis, qui se civem meminisset, in Clivo Capitolino non fuit? post red. in Sen. 5, 12. adolescentes nobilissimi cunctique equites Romani. Caesar B. C. 1, 23. Caesar, ubi illuxit, omnes senatores senatorumque liberos, tribunos militum equitesque Romanos ad se produci iubet. Erant senatorii ordinis L. Domitius, P. Lentulus Spinther, L. Vibullius Rufus, S. Quinctilius Varus, quaestor, L. Rubrius: praeterea filius Domitii aliique complures adolescentes et magnus numerus equitum Romanorum. Caesar ib. 1, 51. Erant complures honesti adolescentes, senatorum filii et ordinis equestris. Cf. ib. 3, 71. 83. 97. Cf. Cic. p. Planc. 6. Hic familia consulari est, ille praetoria. reliquos video esse ex equestri loco. Sunt omnes sine macula — sed servari necesse est gradus, cedat consulari generi praetorium, nec contendat cum praetoris nomine equester locus. cf. 24.

45) Plin. H. N. 9, 60.

46) Suet. Caes. 45. Etiam cultu notabilem ferunt. Usum enim lato clavo, ad manus fimbriato, nec ut unquam aliter, quam super eum cingeretur, et quidem fluxiore cinctura. Unde emanasse Sullae dictum, optimates saepius admonentis, ut male praecinctum puerum caverent. id. Octav. 94. Sumenti virilem togam tunica lati clavi, resuta ex utraque parte, ad pedes decidit. Ovidius etiam tribus quattuorve annis post pugnam Actiacam, i. e. ante leges Augusti (v. not 47) cum toga virili latum clavum sumpsit. Ov. Tr. 4, 10, 35—40. Conferenda est alia lex Augusti apud Dion. 49, 16. *τὴν ἐσθῆτα τὴν ἁλουργῆ μηδένα ἄλλον, ἔξω τῶν βουλευτῶν τῶν τε ἐν ταῖς ἀρχαῖς ὄντων ἐνδύεσθαι ἐκέλευσεν. ἤδη γάρ τινες καὶ τῶν τυχόντων αὐτῇ ἐχρῶντο.* Similem de conchyliatis vestibus legem iam Caesar dederat. Ceterum de laticlaviis v. III c. 4 §. 3.

47) Suet. Oct. 38.

48) Dio. 55, 2. *Δροῦσος εἴς τε τὸ Ἄρειον πεδίον ὑπὸ τῶν ἱππέων, τῶν τε ἐς τὴν ἱππάδα ἀκριβῶς τελούντων καὶ τῶν τοῦ βουλευτικοῦ γένους ὄντων ἠνέχθη*, quem locum Sturzius non intellexit. id. 55, 13. *συχνοὶ τῶν νεανίσκων ἔκ τε τοῦ βουλευτικοῦ γένους καὶ τῶν ἄλλων ἱππέων.* id. 59, 26. *οἱ ἱππεῖς τοῦ τέλους οἵ τε εὐγενεῖς παῖδες.* Herodian 4, 2, §. 4. *τοῦ τε ἱππικοῦ τάγματος εὐγενέστατοι καὶ τῆς Συγκλήτου ἐπίλεκτοι νεανίαι.* Quibus locis *τέλος* sive *τάγμα* de sex turmis equitum equo publico dicitur, de quibus v. infra. Cf. Dio. 56, 42. 74, 5. 59, 9. 42, 51. 61, 8. 59, 11. Suet. Tib. 35 iuventus utriusque ordinis.

victa succumberet; eumque respondisse, concordiam saluti, discordiam exitio urbi fuisse: eoque responso veluti omine domesticae calamitatis commotum fuisse Scipionem. [1]) Neque id omen eum fefellit. Nam Tiberii morte tantum aberat, ut discordiis civilibus finis impositus esset, ut novum incrementum iniuriis insolentiaque nobilium caperent: ut Scipio Nasica, qui Tiberium necaverat, Italia cedere cogeretur: [2]) ut ex consulibus anni 132, qui Gracchi amicos indefensos aut morte aut exilio multaverant, [3]) alter ipse sibi manum inferret, [4]) alter, priusquam accusaretur, ex Italia fugeret. [5]) Atque haud scio an cum horum exitio coniuncta fuerit mors Africani, de qua quanquam aequalium diversae sententiae erant, [6]) tamen, quum quaestio nunquam habita sit, [7]) non certa quaedam suspicio fuit necis. Ac qui Rupilium proconsulem [8]) eodem tempore invidiae populari voluntaria morte se subduxisse, [9]) meminerint, eundem autem et invidiae socium [10]) et amicissimum habuisse Scipionem, [11]) non plane absurdam eorum opinionem habebunt, qui simile utrique, ut partium studium, sic mortis genus fuisse arbitrentur. [12])

2. Secuta sunt Carbonis et C. Gracchi rogationes, quibus ad summum discrimen vocata nobilitate rem eius suscepit L. Opimius, qui, frustra ab anni 122 consulatu prohibitus, [13]) sequente anno cum Fabio Maximo consul factus, vitae consiliisque Gracchi finem imposuit. Inde eadem, quae antea crudelitas optimatium; tria millia civium Romanorum indicta caussa necata; [14]) restitutus in civitatem rogante L. Bestia, trib. pl., P. Popilius Laenas cons. a. 132. [15]) Sed nobilitas, quanquam, ut decennio

---

1) Oros. 5, 8.
2) Plut. Tib. Gr. 21.
3) App. B. C. 1, 26. Val. Max. 4. 7. Cic. de amic. 11, 37. Vellei. 2, 7. Sall. Iug. 31.
4) P. Rupilius propter fratris repulsam Consulatus e vita recessit ut tradit Fannius ap. Cic. Tusc. 4, 17, 40. Errat Velleius 2, 7, 4, qui utrosque Css. iudicio damnatos narrat. Confundit enim Rupilium cum Rutilio, de quo infra loquar. Nam si vera Fannius ap. Cic. l. l. habet, non post a. 129 a. Chr. n. Rupilius mortuus est, quum alter cs. Popilius Laenas a. 123 demum in exilium abiret.
5) In P. Popilium Laenatem Gracchus tribunus legem promulgavit, ne quis iniussu populi de capite civis Romani iudicaret (cf. Ahrens exc. ad Cic. or. Catil. IV, p. 214). Qua lege perlata ex Italia fugit Popilius (Plut. C. Gr. 4. Cic. p. Cluent. 35, 95. Schol. Bob. ad or. post red. ad pop. p. 252 Or.) eique aqua et igni interdictum est. (Cicero pro domo 31, 82, 32, 87; cf. de legg. 3, 11. 26; de rep. 1, 3, 6) quamvis filiis adolescentibus propinquorumque multitudine populum deprecantibus (Cic. post reditum in senat. 15, 37; post redit. ad Quirites 3, 6)
6) Veterum testimonia collecta habes in V. Th. Schev. de morte Scipionis Africani minoris eiusque auctoribus dissertatione ed. Vitebergae 1809, repetita in Beieri Laelio Ciceroniano p. 174 sqq.
7) Liv. epit. 59. Cic. p. Mil. 7. Plut. Romul. 27; cf. Val. Max. 5, 3, 2. Vellei. 2, 4.
8) Post consulatum Siciliae praeerat. Cic. Verr. 2, 16, 39. 2, 13, 32. 15, 37.
9) Cic. Tusc. 4, 17, 40.
10) v. eundem l. cf. de dicto Scipionis, iure caesum Tib. Gracchum videri, et de versu illo *ὥς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος* Aurel. Vict. 58. Cic. de Or. 2, 25, 105. pr. Mil. 3. Plut. Tib. Gr. 21.
11) Cic. Lael. 19, 69. Scipionis ope Rupilius consul factus erat ib. 20, 73.
12) De his v. Plut. Rom. 27. App. B. C. 1, 20. Neque alienum est a vero, Scipionem, Panaetii familiarem, de *αὐτοχειρίᾳ* cum Stoicis sensisse, de quo cf. Schev. l. l. §. 23. Orosius 5, 8: de salute sua desperans, animo depresso de periculo salutis in senatu contestatus est, quod sibi pro patria laboranti ab improbis et ingratis civibus denunciari cognovisset.
13) Plut. C. Gr. 11. Cic. Phil. 8, 4, 14. Catil. 1, 2, 4. de or. 2, 30, 132.
14) Plut. C. Gr. 18; cf. Sall. Iug. 31.
15) Cic. Brut. 34, 128. Schol. Bobiens. in or. de aere alieno Mil. p. 347. Or. post red. in sen. 15, 38; post red. ad Quirites 4, 10.

ante, victoria ex libidine usa est, quanquam multos mortales aut ferro aut fuga exstinxit, tamen plus sibi timoris, quam potentiae in reliquum addidit. Nam, quamvis hucusque optimatibus contigisset, ut modo per socios ac nomen Latinum, interdum per equites Romanos, quos spes societatis cum nobilibus [16]) de plebe dimovisset, Gracchorum consiliis semper resisterent, tamen iam et plebem, Gracchanis legibus in libertatem vindicatam, et novos iudices exasperaverant, postremo Iugurthino bello, quod statim secutum est, et quantum in se esset scelerum aperuerunt, et novis facinoribus ulciscendorum veterum adversariis occasionem praebuerunt. Nam eius legationis, quae initio belli ad regnum Micipsae inter Iugurtham et Adherbalem dividendum in Africam missa est, princeps fuit L. Opimius, [17]) in eaque M. Scaurus, princeps senatus. [18]) Opimius donis regis corruptus est, [19]) Scauro etiamtum animum a consueta libidine continente. [20]) Missi dein cum exercitu Calpurnius Bestia Mque Scaurus quaestor. [21]) Uterque pecunia corrumpitur. [22]) Albinus, qui successit, certe non liber a suspicione erat, [23]) Aulus, eius frater, pro praetore in Africa relictus, corruptus pecunia [24]) et fusus fugatusque a Iugurtha est. [25]) Tantae insolentiae et avaritiae optimatium quum per unum Memmium tribunum, hominem nobilitati infestissimum, [26]) obuiam itum esset, [27]) tandem a. 110 a. Ch. a Mamilio, trib. pleb., rogatio perlata est, uti quaereretur in eos, quorum consilio Iugurtha senatus decreta neglexisset, quique ab eo in legationibus aut imperiis pecunias accepissent. [28]) Ac quanquam M. Scaurus, Calpurnii legatus, effecerat, ut ipse in trium, qui rogabantur ex ea lege, quaestorum numero crearetur, tamen quaestio aspere et violenter exercita, neque solum recentium criminum ab singulis, sed veterum iniuriarum ab universis poenae repetebantur, ut hac lege totam nobilitatem fusam dicat Sallustius. [29]) Ac primum L. Opimium, C. Gracchi interfectorem, quem a. 120 a. Ch. n. frustra Q. Decius, trib. pleb., accusaverat, [30]) „absolutum a populo, quum contra populi studium stetisset, Gracchani iudices sustulerunt", [31]) quem, quanquam Mamilia lege damnatus esset, tamen Gracchanorum temporum invidiam perdidisse consentiens est sententia omnium. [32]) L. Opimius, homo antea clarus et in senatu potens, [33]) civis, ut Cicero dicit, praestantissi-

---

[16]) Sic Rupilius per Scipionem e publicano consul factus est. Pseudo-Asc. in Verr. 2, p. 212 Or.; plura exempla praebent Octavii.
[17]) Sall. Iug. 16.
[18]) ib. 25.
[19]) ib. 16. Plut. C. Gr. 18.
[20]) Sall. Iug. 15.
[21]) Cic. de or. 2, 70, 283.
[22]) Sall. Iug. 29. Florus 3, 1, 7.
[23]) Sall. Iug. 36.
[24]) ib. 38.
[25]) ib. 37.
[26]) Cic. de orat. 2, 70, 283.
[27]) Sall. Iug. 27. 30. 32.
[28]) ib. 40.
[29]) ib. 73.
[30]) Cic. de or. 2, 25, 106; cf. Freinsh. suppl. Liv. 61, 49 sqq.
[31]) Cic. Brut. 34, 128.
[32]) Cic. p. Planc. 29, 70; in Pison. 39, 95; Ascon. in Pison. p. 17. Or. L. Opimius — C. Gracchum oppressit, ob quam invidiam postea iudiciis circumventus est et in exilium actus.
[33]) Sall. Iug. 16.

mus,[34]) reipublicae quondam servator,[35]) exsul diem supremum obiit, eiusque sepulchrum desertissimum in litore Dyrrhachino restabat.[36]) Eundem exitum habuere tres alii consulares,[37]) L. Calp. Piso Bestia, qui tribunus P. Popilium, a C. Graccho expulsum, rogatione sua restituerat, Sp. Albinus, C. Porcius Cato, Catonis Censorii et L. Paulli nepos, cuius caussa ad Iugurtham non pertinuisse videtur,[38]) denique C. Galba sacerdos.[39])

3. Neque his caussis satisfactum est odio iudicum atque plebis, sed quattuor fere, ut videtur, annos continuos, remotis adversariorum principibus, alios aliis caussis circumvenerunt, dum intemperata ulciscendi cupiditas perniciei ipsis esset. Successit a. 106 Q. Servilio Caepioni consuli, Crasso[40]) suadente, legem iudiciariam ferre, qua senatoribus iterum iudicia vindicarentur.[41]) In qua suasione Crassus, qui inde patronus senatus dictus est,[42]) „Eripite nos, inquit, ex miseriis, eripite nos ex faucibus eorum, quorum crudelitas nostro sanguine non potest expleri, nolite sinere nos cuiquam servire, nisi vobis universis, quibus et possumus et debemus.[43]) Nam, ubi libido dominatur, innocentiae leve praesidium est.[44]) Neque me minus vestri, quam mei miserebitur“,[45]) et „Demus operam, Quirites, ne omnino patres conscripti circumscripti putentur.[46])

Factum tamen esse tradunt divino numine, ut quidquid privatim vel publice a Caepione susciperetur, id male ei procederet, ipsiusque in exitium verteretur, cuius rei caussam sacrilegam eius avaritiam afferunt.[47]) Illud certum est et hanc eius avaritiam et res eius in bello Cimbrico adversas non multum afuisse[48]) ab ea invidia, qua inde a Iugurthino bello, quod tum demum finitum est, optimates flagraverunt, eamque ab uno conflatam ad ceteros manasse. Itaque, quum Caepio proconsul a. 105 contra Cimbros sua temeritate exercitum amisisset,[49]) et ipsi a populo imperium ab-

---

[34]) Cic. Brut. 34, 128.

[35]) pr. Planc. 28, 69; in Pison. 39, 95.

[36]) Cic. l. l. p. Sest. 67, 140.

[37]) Cic. Brut. l. l.

[38]) Repetundarum ex Macedonia damnatus est. Vellei. 2, 8, 1; cf. Cic. Verr. 3, 80, 182; 4, 10, 22. Exul Tarracone vixit. Cic. pro Balbo 11, 28.

[39]) Cic. Brut. l. l.

[40]) Cic. p. Cluent. 51, 140. Brut. 43, 161; 44, 164; 86, 296.

[41]) Cic. de invent. 1, 49, 92; pr. Cluent. 51, 140; de orat. 1, 52, 225; 2, 48, 199; 49, 200. Tac. Ann. 12, 60. Errorem Obsequentis, qui de prod. c. 101 dixit ex lege Servilia Caepionis Senatores et equites iudicasse, repetunt Sigonius, Heineccius, Bachius, Walterus p. 244, Wittich de Sulla p. 16[illegible]. Verum viderunt Klenze praef. ad leg. Servil. Rein. Röm. Privatr. p. 412. Drum. l. l. Vol. 2 p. 490; Vol. 4 p. 63.

[42]) Valer. Max. 6, 9, 13.

[43]) Cic. de or. 1, 52, 225; parad. 5, 3.

[44]) Cic. or. 65, 219.

[45]) Priscian. 8, 14, p. 411.

[46]) ad Herenn. 4, 22, 30.

[47]) Strabo 4 p. 188—302 Tauchn. *Τοὺς Τεκτοσάγας δέ φασι μετασχεῖν τῆς ἐπὶ Δελφοὺς στρατείας καὶ τούς τε θησαυροὺς τοὺς εὑρεθέντας παρ᾽ αὐτοῖς ὑπὸ Καιπίωνος τοῦ στρατηγοῦ τῶν Ῥωμαίων ἐν πόλει Τολώσσῃ τῶν ἐκεῖθεν χρηματων μέρος εἶναί φασι. προσθεῖναι δὲ τοὺς ἀνθρώπους καὶ ἐκ τῶν ἰδίων οἴκων ἀνιεροῦντας καὶ ἐξιλασκομένους τὸν θεόν· προσαψάμενον δ᾽ αὐτῶν τὸν Καιπίωνα διὰ τοῦτο ἐν δυστυχήμασι καταστρέψαι τὸν βίον, ὡς ἱερόσυλον ἐκβληθέντα ὑπὸ τῆς πατρίδος· διαδόχους δ᾽ ἀπολιπόντα παῖδας, ἃς συνέβη καταπορνευθείσας, ὡς εἴρηκε Τιμαγένης αἰσχρῶς ἀπολέσθαι.* cf. Cic. de N. D. 3, 30, 74. Gell. N. A 3, 9. Iustin. 32, 3.

[48]) Utrumque coniungit Cicero l. l.

[49]) Dio. fr. 98. 99. p. 42 R. cf. Sall. Iug. 114. Cic. de or. 2, 28, 124.

rogatum est,[50]) et eodem, ut videtur, tempore, lege Servilia Glauciae, tr. pl.,[51]) iudicia equitibus restituta.[52]) Iudiciorum, quae ex ea lege sunt habita, memoria notabilis exstat, ex qua intelligitur, et quam iustae Crassi querelae fuerint, et quam non in singulos noxios, sed in nobilitatis principes fuerit saevitum. Principes autem nobilitatis, ut apparet e caussa Caepionis, tum temporis fuerunt L. Crassus,[53]) quem patronum senatus appellatum fuisse dixi, et Aemilius Scaurus, princeps senatus. Nam Caepio, postquam abrogato imperio decennium paene adversariorum odium effugit,[54]) tandem a. 95 a. Ch. n. L. Licinio Crasso, Q. Mucio Scaevola P. M. Css.[55]) a C. Norbano, tr. pl., iterum et propter deletum exercitum et propter aurum Tolosanum raptum[56]) apud populum reus factus est. Quem ut servarent, quanquam summis viribus contenderunt optimates, tamen tribuni duo, qui collegae intercesserunt, pulsi sunt: optimates seditione facta, remoti: Scaurus ipse in foro vulneratus:[57]) frustraque a Crasso reus laudatus est.[58])

4. Ventum iam est ad ea tempora, quibus, civitate universa seditiosorum tribunorum, Glauciae, Saturnini, Apuleii furore concussa, tristissimum exitum contentionum harum timebant, quos, quanta mala imminerent, non fugeret.[59]) Sed neque haec, quae nota sunt, in animo est longius explicare, neque Caepionis caussam alio consilio commemoravi, qnum ut, quae equitum in his discordiis partes fuissent, explicarem. Erant autem Marianarum partium duo propugnatores, alteri tribuni plebis, alteri equites. Itaque sicuti contra Metellum primum publicanis usus est Marius,[60]) postea tribunis,[61]) sic adversus nobilitatem universam utrosque socios habuit. Itaque vix triennio post Caepionis damnationem praeterlapso, quos ante dixi nobilium principes, ii omnes, a iudicibus inimicis petiti, insignem iudicum iniquitatem perpessi sunt; Crassus in ipsa contentione morbo est consumptus.[62]) Omnes autem hae caussae ad provincias pertinebant.

---

50) Ascon. in Cornel. p. 78 Or.; cf. locos infra laudandos.

51) cf. de hoc Vellei. 2, 12 extr.

52) Cic. pr. Scauro §. 2. Brut. 62. Pseudo-Ascon. in div. in Verr, 17, 57. Quo anno Glaucia tribunus fuerit, incertum est. Secutus sum Klenzii (praef. ad leg. Serv.) et Drumanni (2 p. 489) sententias.

53) v. de hoc Drum. 4 p. 62 sqq.

54) Bis caussam egit Caepio, alteram a. 104, quum Romam rediisset, alteram a. 95. Priore imperium ei abrogatum est. De publicatione bonorum quae narrantur, (Liv. ep. 67) incertum est, utrum cum Pighio Ann. ad a. 648 p. 149, ad a. 658 p. 198, ad posteriorem, an cum Drumanno 4, p, 64 ad priorem referenda sint.

55) Errore Obsequens, quem Almeloveenius in fastis sequitur, P. Liv. Crassum habet, v. Drum. 4 p. 64 n. 64.

56) Cic. Brut. 35, 135. Val. Max. 4, 7, 3. Cic. partitt. 30, 105; de or. 2, 47, 197.

57) Cic. de or. l. l.

58) ad Herenn. 1, 14, 24. Brut. 44, 162. de or. l. l.

59) v. de M. Antonio oratore Ciceronem ad fam. 6, 2, 2: Sin omnino interserint omnia, fueritque is exitus, quem vir prudentissimus, M. Antonius iam tum timebat, quum tantum instari malorum suspicabatur: misera est illa quidem consolatio, — sed tamen necessaria, nihil esse praecipue cuiquam dolendum in eo, quod accidat universis.

60) Vellei. 2, 11, 2. Marius per publicanos aliosque in Africa negotiantes criminatus Metelli lentitudinem — — effecit, ut consul crearetur.

61) App. B. C. 1, 29 sqq.

62) v. de Crassi morte, quae incidit in a. 91, Drum. 4 p. 67.

Q. Mucius, P. F. P. N. Scaevola, pontifex maximus, [63]) a. 94 Asiam per novem menses pro praetore administraverat. [64]) Invenerat Asiam confectam avaritia iniuriisque publicanorum, qui, equitum iudiciis freti, nihil a cupiditate intactum, nihil a libidine purum reliquerant. [65]) At Scaevola non modo ipse cum comitibus suis nulli sumptui esse provinciae, sed etiam incorrupta iustitia iniurias publicanorum legibus coercere, quidquid caussa cognita iudices pronuntiassent, dari, fieri cogere, atrociora crimina prosequi poena capitali. [66]) Ita quum integerrime provinciae praefuisset, a Graecis quidem in honorem eius dies festus constitutus est, [67]) publicani autem fremebant. [68]) Ac primum quidem hi P. Rutilium Rufum aggressi sunt, virum consularem, [69]) quem legatum [70]) secum duxerat Scaevola, hominem sanctissimum, innocentissimum, [71]) frugalissimum, [72]) Panaetii auditorem, [73]) sed optimatium parti deditum et populi misericordiam spernentem. [74]) Hunc, quod cum praetore suo consensisset, ne quid publicani in vectigalibus exigendis praeter fas agerent, [75]) a. 93 per Apicium quendam [76]) ex lege Servilia de repetundis accusatum condemnarunt tanquam pro Q. Mucio in provincia munera accepisset, [77]) quum ille nec L. Crasso nec M. Antonio, viris eloquentissimis, defensoribus uti vellet, sed ipse pro se diceret praeterque eum C. Cotta, sororis eius filius, et M. Scaevola. [78]) Rutilius, pecunia multatus, [79])

---

[63]) Hunc intelligendum esse, non Q. Mucium Scaevolam augurem, demonstravit Krebsius in diario scholastico 1828. II. N. 43, quae dissertatio repetita est ab Orellio Vol. VII. p. 407 sqq.

[64]) Pseudo-Ascon. ad Cic. Divin. in Verr. 17, p. 122 Or. Diodor. exc. p. 610 Wess. Vol. IV. p. 152. Dind. Livius ep. 70. proconsulem appellat.

[65]) Diod. l. l. *οἱ γὰρ προγεγονότες κατὰ τὴν Ἀσίαν δημοσιῶναι, κοινωνοὺς ἐσχηκότες τοὺς ἐν τῇ Ῥώμῃ τὰς δημοσίας κρίσεις καταδικάζοντας, ἀνομημάτων ἐπεπληρώκεισαν τὴν ἐπαρχίαν.*

[66]) ib. *ὅτι Λεύκιος* (error est sine dubio in hoc praenomine, quum in fragmento antecedente recte dicatur *Κόϊντος.*) *ὁ Σκαιουόλας ταῖς μὲν δικαιοδοσίαις ἀδιαφθόροις καὶ ἀκριβέσι χρησάμενος, οὐ μόνον πάσης συκοφαντίας ἀπήλλαξε τοὺς κατὰ τὴν ἐπαρχίαν, ἀλλὰ καὶ τὰ τῶν δημοσιωνῶν ἀνομήματα διωρθώσατο. πᾶσι γὰρ τοῖς ἠδικημένοις ἀκριβῆ κριτήρια προστατεύων, καταδίκους ἐν ἅπασιν ἐποίει τοὺς δημοσιώνας, καὶ τὰς μὲν ἀργυρικὰς βλάβας τοῖς ἠδικημένοις ἐκτίνειν ἠνάγκαζε, τὰ δὲ θανατικὰ τῶν ἐγκλημάτων ἠξίου κρίσεως θανατικῆς.*

[67]) Pseudo-Ascon. l. l. Diod. l. l.

[68]) Cic. pr. Planc. 13, 33. Equitum ego Romanorum in homines nobilissimos maledicta, publicanorum in Q. Scaevolam, virum omnibus ingenio, iustitia, integritate praestantem, aspere et ferociter et libere dicta commemorem?

[69]) Consul fuerat a. 105.

[70]) Liv ep. 70. Diod. l. l. *ἐπιλεξάμενος τὸν ἄριστον τῶν φίλων σύμβουλον Κόϊντον Ῥοτίλιον.* Virum consularem legati munere fungi, non sine exemplo est. V. Duk. ad Liv. l. l. Quaestorem dicit Pseudo-Ascon. l. l. Pomponius de origine iuris D. 2. tit. 2, 2. §. 40: „Ab his profecti sunt P. Rutilius Rufus, qui Romae consul et Asiae proconsul fuit. In errorem inductus videtur commemorato Rutilii consulatu, neque enim Zumptio assentior, qui putat, Scaevola ad consulatum petendum Romam profecto Rutilium pro consule Asiae relictum esse. v. Zumpt. ad Cic. Div. in Verr. l. l.

[71]) Cic. pro Scauro 1, 2. de or. 1, 53, 229. pro Fonteio 13, 28. Brut. 30, 113. in Pison. 39, 95. de N. D. 3, 32, 80. Liv. ep. 70. Vellei. 2, 13, 2. Tac. Ann. 4, 43. Oros. 5, 17. Dio. fr. 106. Seneca fere semper eum cum Socrate et Catone nominat. v. consol. ad Marc. 22. de prov. 3. de tranq. an. 15. de benef. 5, 17. 6, 37. ep. 24. 67. 98. cf. Spalding. ad Quint. 5, 2, 4.

[72]) Athen. 6, p. 274. C.

[73]) Cic. off. 3, 2, 10. Brut. 30, 114.

[74]) Flor. 3, 17. Fuerat legatus Metelli Numidici a. 109. et imprimis Scaevolis deditus erat. Pompon. l. l. Cic. off. 2, 13. Iudicibus non modo supplex esse noluit, sed ne ornatius quidem dicere, quam simplex ratio veritatis ferebat. Cic. de or. I, 53, 229. Brut. 30, 115.

[75]) Pseudo-Ascon. l. l. Dio. l. l.

[76]) Athen. 4, p. 168. D. De anno v. Clinton. fasti Hellen. from the CXXIV Olympiad to the Death of Augustus ad a. 92.

[77]) Dio. l. l.

[78]) Cic. Brut. 30, 115. de or. l. l.

[79]) Dio. l. l.

Smyrnam in exilium abiit,[80]) sed convulsa est hoc iudicio penitus respublica,[81]) bonis omnibus gemiscentibus,[82]) quum nemo tam innocens videretur, ut non timeret equitum iudicia.[83]) Cuius quum bona publicarentur, longe inferiores ea pecunia, quam ex Asia rapuisse accusabatur, facultates eius deprehensae sunt, eaeque iustis titulis comparatae,[84]) ut, quamvis damnatus, specimen videretur innocentiae, et maior iudicum et reipublicae poena illa, quam Rutilii putaretur.[85]) Qui quum per equites Mariumque expulsus esset, in quem non minima pars eius invidiae incidit,[86]) restabat cum Scaevola Crassus atque Scaurus. Atque illum paullo post hoc tempus perdiderunt Mariani,[87]) Crassum mors eorum manibus eripuit, Scaurum autem eum adversarium nacti erant, qui non se ipsum ab iniuriis tueri, sed nobilitatem totam in libertatem vindicare, iudiciorumque illud, quo valebant equites, privilegium extorquere iis conaretur. Scaurum, „qui a C. Graccho usque seditiosis omnibus restiterat, quem nunquam ulla vis, ullae minae, ulla invidia labefecit,“[88]) ob legationis Asiaticae[89]) invidiam pecuniarum adversus leges captarum[90]) lege Servilia reum fecit Q. Servilius Caepio, qui postquam quaestor a. 100 a senatu stetit,[91]) dein, inimicitia, ut videtur, Scauri ductus, equestri ordini sese dederat.[92]) Scaurus tamen tanta animi continentia et magnitudine fuit, ut Caepionem contra reum deferret et breviore die inquisitionis efficeret, ut ille prior caussam dicere cogeretur.[93]) Interea M. Drusum tr. pl. nactus, qui senatus caussam susciperet,[94]) secum coniunxit et L. Crassum consularem[95]) et maximam partem senatus, qui postquam plebem spe largitionum agrorumque concitavit, Latinis Italisque civitatem permisit,[96]) easque colonias, de quibus diu rogationes perlatae erant, promisit se acturum,[97]) agrariis frumentariisque legibus postremo iudiciariam addidit.[97a]) Quam tamen quum ne ita quidem, plebe Italisque in partes

---

80) Cic. Brut. 22, 85. pr. Balbo 11, 28. de rep. 1, 8, 13.
81) Cic. Brut. 30, 115.
82) Vellei. 2, 13, 2.
83) Cic. pr. Scauro 1, 2.
84) Dio. fr. 107, 1.
85) Cic. in Pison. 39, 95. pr. Fonteio 13, 28.
86) Dio. fr. 107, 2.
87) Postquam a. 86 in funere C. Marii Fimbria frustra conatus est eum occidere, a 83 iussu Marii iunioris a praetore Damasippo interfectus est.
88) Cic. p. Sest. 47, 101.
89) Val. Max. 3, 7, 8.
90) Ascon. in or. pr. Scauro p. 21 Or.
91) Cic. ad Herenn. 1, 12, 21.
92) Cic. Brut. 62, 223. Hunc Caepionem diversum esse ab eo, qui Cs. fuit a. 106, et in exilium actus est a. 104. demonstravit Wetzel ad Cic. Brut. l. l. cf. Orell. Vol. VII. p. 540 sqq. Drum. R. G. 2, p. 490. not. 39. Ahrens die drei Volkstribunen Tib. Grach., M. Drusus und P. Sulpicius p. 54. 114 sqq. De inimicitia inter Drusum et Caepionem, cuius ante ille amicissimus fuerat, v. Cic. Brut. 62, 223. pr. domo 46, 120. Dio. exc. 109. 110. Plin. H. N. 33, 1. Flor. 1, 13, 4.
93) Ascon. l. l.
94) Ascon. l. l. ut (Scaurus) M. quoque Drusum, tr. pl., cohortatus sit, ut iudicia commutaret. cf. Liv. ep. 70. 71. App. B. C. 1, 35. Vellei. 2, 13, 2.
95) Cic. pr. domo 19, 50.
96) Liv. ep. 70. Aur. Vict. 66. App. B. C. 1, 35. Flor. 3, 17, 1.
97) App. l. l.
97a) Omnes has leges ideo tantum datas esse, ut plebis Italorumque opera lex iudiciaria perferretur, e memorabili, quo socios obstrinxit, iureiurando intelligitur, quod servatum est in Diodori fragment. Vatic. p. 116. *ὄμνυμι τὸν Δία τὸν Καπετώλιον κ. τ. λ. — — — τὸν αὐτὸν φίλον καὶ πολέμιον ἡγήσεσθαι Δρούσῳ, καὶ μήτε βίου, μήτε τέκνων καὶ γονέων μηδεμιᾶς φείσεσθαι ψυχῆς, ἐὰν μὴ συμφέρῃ Δρούσῳ τε καὶ τοῖς τον αὐτὸν ὅρκον ὀμοσάσιν. ἐὰν δὲ γένωμαι πολίτης τῷ Δρούσου νόμῳ, πατρίδα ἡγήσομαι τὴν Ῥώμην καὶ μέγιστον εὐεργέτην Δροῦσον. κ. τ. λ.*

tractis, perferri posse putarent, antiquo illo dividendi atque ita imperandi artificio usi duo capita eius legis fecerant, alterum, ut ad trecentos senatores, ad quem numerum senatus civilibus discordiis redactus erat, trecenti ex equitibus ἀριστίνδην adderentur, [98]) quo sperabant fore, ut potentissimos equitum ab ordine equestri abalienarent, iudicia autem essent penes senatum; alterum, ut, si quis ob rem iudicandam pecuniam cepisset, in eum quaestio esset.

Quominus tamen haec rogatio perferretur, multae caussae obstabant. Sive enim ἀριστίνδην illud, quo verbo Appianus utitur, de nobilibus intelligendum est, quos cum ordine senatorio coniunctos fuisse demonstravi, [99]) contra hos totus ordo equester consurrexit; sive ditissimi potentissimique publicanorum intelliguntur, et difficilis et invidiosa erat eorum lectio. [100]) Altero autem capite apertum erat „nihil aliud agere Drusum cum illa cuncta, quae tum erat, nobilitate, nisi uti, qui res iudicassent, huiusmodi quaestionibus in iudicium vocarentur. Videbant enim, senatores qui se vellent posse omnia, neque praeterea quidquam esse aut in homine ullo, aut in ordine, hoc uno metu se putare equites Romanos in potestatem redacturos, si esset constitutum, ut de iis, qui rem iudicassent, huiusmodi iudicia fieri possent." [101]) Quam ob rem omni vi restiterunt equites, ne illa lege C. Gracchi, ne quis iudicio circumveniretur, quae ad eos tantum, qui magistratu fungebantur, quive in senatu sententiam dicebant, pertinebat, [102]) et ipsi tenerentur, neve quaestio, si quis ob rem iudicandam pecuniam cepisset, in se quoque institueretur. [103]) „Putabant enim, minus multos sibi laqueos legum et conditionum ac iudiciorum propositos esse oportere, qui in summum locum civitatis aut non potuerunt ascendere aut non petiverunt." [104])

Sed praeterquam quod equites legem Liviam oppugnabant, nobilitas ipsa de ea dissentire coepit, „Drususque in iis ipsis, quae pro senatu moliebatur, senatum habuit adversarium, non intelligentem, si qua de plebis commodis ab eo agerentur, ea veluti inescandae illiciendaeque multitudinis caussa fieri, ut minoribus perceptis maiora permitteret." [105]) Adversariorum legis in senatu principes erant L. Marcius Philippus Cs., Q. Servilius Caepio, Scauri accusator, denique Q. Varius, tr. pl., quorum Philippus eo progressus est vehementiae, ut in ipsa concione populi graviter in senatum inveheretur. [106]) Cuius partes superiores evaserunt. Lex Livia iudiciaria non perlata est, [107]) et, quum ita fine contentionum omnium excidisset, etiam alias leges,

---

[98]) App. l. l. Ceteros locos collectos habes in indice Ciceronis Orelliano.

[99]) Ahrens l. l. p. 88.

[100]) Aurel. Vict. 66: Idem (Drusus) ex gratia nimia in invidiam venit. Nam plebes acceptis agris gaudebat, expulsi dolebant; equites in senatum lecti laetabantur, sed praeteriti querebantur: senatus permissis iudiciis exsultabat, sed societatem cum equitibus aegre ferebat.

[101]) Verba sunt Ciceronis pro Cluent. 55, 153, 152.

[102]) Totum hunc locum explicat Cicero pro Cluentio 52—58; v. impr. 55, 151.

[103]) Cic. pro Rabirio Posth. 7, 16.

[104]) pro Cluentio 55, 150.

[105]) Vellei. 2, 13, 2.

[106]) Cic. de or. 3, 1.

[107]) v. Ahrens l. l. p. 98.

quarum fructus iam nullus erat, senatus antiquavit. [108]) Nobilitatis res ceciderat, senatus propugnator atque illis quidem temporibus paene patronus, [109]) M. Drusus, domi suae ab adversariis [110]) interfectus est, Crassum dolor profligati ab ipsoque consule deserti senatus consumpsit, [111]) Italia omnis civitatis spe concitata est. Iudicia equites retinuerunt, iique ita victoria usi sunt, ut tum maxime sollicitatae largitionibus Italiae reos principes civitatis facerent, [112]) eiusque sceleris invidia nobiles omnes una circumventuros se sperarent. [113]) His et suadentibus et legem gladiis adiuvantibus [114]) Q. Varius tr. pl. a. 91 tulit, ut quaereretur de iis, quorum ope consiliove socii contra populum Romanum arma sumpsissent. [115]) Qua lege anno sequente damnati sunt L. Bestia, qui trib. 121 P. Popilium, Tib. Gracchi adversarium, restituerat, [116]) dein corruptus a Iugurtha damnatusque lege Mamilia erat, [117]) C. Aur. Cotta, P. Rutilii Rufi et sororis filius et in iudicio de repetundis defensor, [118]) Livii Drusi maxime familiaris, in quo magnam spem optimates maiores natu dignitatis suae iam tum (tribunatum enim a. 91 petiit) collocabant. [119]) Cum his M. Scaurus, custos ille reipublicae, anno aetatis LXXII Caepionis, veteris inimici impulsu, a Quinto Vario adesse apud se iussus est. Cuius, ut in prioribus periculis, sic in extrema caussa versatile ingenium apparuit. „Nam per viatorem accersitus, quum iam ex morbo male solveretur, dissuadentibus amicis, ne se in illa valetudine et aetate invidiae populi obiiceret, innixus nobilissimis iuvenibus processit in forum, deinde accepto respondendi loco dixit: Q. Varius Hispanus M. Scaurum, principem senatus, socios in arma ait convocasse; M. Scaurus, princeps senatus, negat; testis nemo est; utri vos, Quirites, convenit credere?“ [120]) Sic Scaurus etiam hoc ultimum, in quod vocatus est, iudicium effugit, iudiciis autem bellum sociale civiliumque, iam non discordiarum, sed bellorum turba finem imposuit. [121])

---

108) Cic. de legg. 2, 6, 14. 2, 12, 31. pro domo 16, 41. pro Cornelio fr. 11, p. 440 Or. Ascon. in Cornel. p. 68. Senec. cons. ad Marc. 16: Cornelia Livium Drusum clarissimum iuvenem, illustris ingenii, vadentem per Gracchana vestigia, imperfectis tot rogationibus intra penates interemtum suos amiserat, incerto caedis auctore.

109) Cic. pr. Milone 7, 16. *προστάτης τῆς συγκλήτου* nominatur ap. Diod. exc. p 611. extr.

110) Ahrens p. 102.

111) Cic. de or. 3, 1. 2.

112) ib. 3, 2, 8.

113) App. B. C. 1, 37.

114) App. l. l. *οἱ ἱππεῖς — — Κόϊντον Οὐάριον δήμαρχον ἔπεισαν εἰσηγήσασθαι κρίσεις εἶναι κατὰ τῶν τοῖς Ἰταλιώταις ἐπὶ τὰ κοινὰ φανερῶς ἢ κρύφα βοηθούντων, ἐλπίσαντες τοὺς δυνατοὺς ἅπαντας αὐτίκα εἰς ἔγκλημα ἐπίφθονον ὑπάξεσθαι καὶ δικάσειν μὲν αὐτοί, γενομένων δ' ἐκείνων ἐκποδὼν δυνατώτερον ἔτι τῆς πόλεως ἐπάρξειν.*

115) Ascon. in Scaur. p. 22 Or. Val. Max. 8, 6, 4.

116) v. supra.

117) v. de eo Drum. 2 p. 96.

118) Cic. Brut. 30, 115. de or. 1, 53, 229.

119) de or. 1, 7, 25. Appianus his addit Mummium, errore, ut videtur, nisi forte Mummium 54 annis post Consulatum suum accusatum fuisse credimus.

120) Ascon. in or. pr. Scauro p. 22 Or.

121) Bello Italico, quum multi Varia lege inique damnarentur, quasi id bellum illis auctoribus conflatum esset crebraeque defectiones Italicorum nuntiarentur, tunc ob tristitiae occasionem senatus decrevit, ne iudicia, dum tumultus Italicus esset, exercerentur. Ascon. in Cornel. p. 73 Or.

Cap. III.

Bella civilia a Sulla usque ad Augustum.

1. **D**uabus usque ad hoc tempus contentionibus civilibus respublica Romana concussa fuerat, vetere illa inter patricios et plebeios, et recenti inter nobiles et populares. Quarum utraque ab altera plane diversa fuit. Nam illis temporibus ordinis contra ordinem certamen fuerat, neque singulorum, ut erant eius aetatis mores, sed cuncti ordinis commoda agebantur, eratque ordo uterque coniugii commerciique certo vinculo et coniunctus inter se et ab altero disiunctus. Nobilitatem contra duae res perdiderunt, altera, quod fere ab eodem tempore, quo patriciorum iura legibus Liciniis antiquata sunt, cum nobilitate exortus est tertius ordo, non honoribus quidem sed opibus validus, per Gracchos autem contra optimates excitatus: altera, quod, quum in magistratibus atque honoribus, non in genere, nobilitas esset, in senatu ipso non pauci exstiterunt, qui nobilium caussam populari postbaberent. Cuius rei exemplum modo commemoratum est. Itaque, quum dissidio senatus ipsius facto, neque optimatium sententiae inter se congruerent, et tribuni iam diu desiissent populi commoda suae ipsorum voluntati praeponere, ab ordinum contentionibus ad diversa hominum studia respublica pervenit et fortissimo cuique et audacissimo paruit. Quanquam igitur etiam per bellorum civilium spatium discordia ordinum duravit, tamen harum eventus ab eorum, qui quoque tempore civitatis principes essent, et fortuna et consiliis pependerunt, ut difficile sit equitum historiam ab universae huius aetatis historia separare. Itaque ad odium partium accesserunt et principum quorumque inimicitiae et urgentis belli necessitas et militum superbientium studia et ducum inexplebilis avaritia, nec in proscriptione Sullana, quos populi studium, quos divitiae perdiderint, iam accurate distingui potest. Nobis in hac non temporis sed equitum historia non de hominum, sed de ordinis fortuna, quam fieri potest, brevissime dicere in animo est.

2. Mors Drusi iampridem tumescens bellum Italicum excitavit, [1]) eoque nova incrementa cepit caussa nobilium. Marii gloria senescente, Sullae laudes creverunt. [2]) Varius sua lege damnatus est. [3]) Quae quum ita essent, statim recuperandorum iudiciorum ab optimatibus periculum factum est, cuius rei duplicem rationem inire potuerunt, alteram, quam secuturus Drusus fuerat, ut suppleto ex equitibus senatu senatoribus solis iudicia traderentur, alteram, ne penes solos certe equites potestas iudiciaria esset; eiusdem parte quadam etiam reliqui ordines potirentur. E quibus rationibus hanc iniit M. Plautius Silvanus, lege data a. 89, „ex qua tribus singulae ex suo

---

[1]) Vellei. 2, 15.

[2]) Plut. Mar. 33. *οὗτος ὁ πόλεμος, ὅσον Σύλλᾳ προσέθηκε δόξης καὶ δυνάμεως, τοσοῦτον ἀφεῖλε Μαρίου.* cf. Plut. Sulla 6

[3]) Cic. Brut. 89, 305.

numero quinos denos suffragio crearent, qui eo anno iudicarent", quo factum est, ut senatores quoque in eo numero essent, et quidam etiam ex ipsa plebe. [4]) Quod ille minus ausus erat, ut senatui summam iudiciorum auctoritatem redderet, quam Drusi legibus sibi vindicare nobilitas frustra conata erat, postquam bello civili optimates superiores evaserunt, a C. Sulla perfici poterat. L. C. Sulla senatum ex equestri ordine supplevit [5]) trecentis nobilibus equitibus additis, [6]) et iudicia senatoribus dedit. [7])

Haec ultima erat victoria optimatium, eamque non partium viribus reportaverant, sed eiusdem viri acceptam gratiae referebant, penes quem tum, „leges, iudicia, aerarium, provinciae, reges, denique necis civium et vitae licentia erat." [8])

Quam ob rem, quanquam iudicia senatores receperant, tamen idem etiamtum rerum status erat, quo olim ea amiserant, eadem et fortasse maior avaritia optimatium, eaedem discordiae provinciales, eaedem iniuriae magistratuum, eaeque maiores, quo diutius et post legem Corneliam de imperio vexare iis provincias licuit, [9]) quoque minus, sublata tribunorum plebis vi, in his auxilii erat. Itaque idem et iam iniudicibus suorum studium et odium adversariorum: ita ut triennio post legem Corneliam i. e. a. 77. Cn. Dolabella e Macedonia reversus a I. Caesare adolescente repetundarum accusatus, quamvis multis convictus argumentis, tamen a iudicibus absolutus sit. [10]) Inter ceteras caussas huius temporis memorabile est nomen Staieni, viri et exercitatissimi in iudiciis corrumpendis et tamen iudicis, [11]) cuius artificia in Cluentiana Cicero exponit. Qui, quum biennio ante caussam Cluentii, i. e. a. 76 caussam bonorum Safinii Atellae recepisset, sexcentis millibus nummum iudicium se corrupturum dixerat. Quae accepta a pupillo, suppressit, nec Safinio nec bonorum emtoribus iudicio facto reddidit. [12]) Idem duobus annis post Oppianicum, „duobus iugulatum praeiudiciis,"

---

[4]) Cic. pr. Cornel. fr. 27 p. 451. Ascon. ad h. l. 79 Or. Non absurde, ut mihi videtur, et huius legis et l. Plautiae de vi (de qua v. Wächter. N. Arch. d. Criminalr. Vol. 13, p. 8 sqq.; ap. Or. Vol. VIII, p. 233) maxime foeneratorum iniurias et praetoris Asellionis necem (App. B. C. 1, 54) occasionem dedisse credit Freinshemius.

[5]) Liv. ep. 89.

[6]) App. B. C. 1, 100. *ἐκ τῶν ἀρίστων ἱππέων.*

[7]) Utrumque factum est a. 80, decem annos ante legem Aureliam. Pseudo-Ascon. in arg. divin. p. 99 Or. Cic. Verr. 1, 13, 37 et Garat. ad h. l. Cf. Pseudo-Ascon. ad h. l. p. 145 Or. et 149 Or. De errore Appiani 1, 59, qui haec narrat ad a. 88, v. Drum. 2, p. 482. n. 75. Repetit idem App. 1, 100. Quod idem dicit, tribus de legendis in senatum equitibus suffragia tulisse, id haud scio an novus error Appiani sit, et vere pertineat ad legem Plautiam, ex qua iudices tributim creabantur, de qua nihil Appianus. Zachariae Sull. 2, 86 affirmat Sullam XVIII centurias ad VI suffragiorum numerum reduxisse, eaque post tribum praerogativam suffragia ferre iussisse, quod haud scio, an nemine probaturus sit.

[8]) Sall. fr. hist. I.

[9]) Hac lege factum est, ut nemini amplius prorogaretur imperium, sed retineretur sine prorogatione, dum senatus successorem mitteret. Ita factum est, ut L. Lentulus septem annos Ciliciam Asiamque administraret, P. Lentulus Ciliciam a. tres, per idem tempus Appius Claudius Siciliam, Gabinius Syriam, Fonteius Galliam, Verres Siciliam retineret. V. de hac lege egregiam Ferratii epist. l. III, 9, quae repetita est in Cicerone Garatoniano Vol. IV; cf. Drum. 2, p. 491.

[10]) Drum. 2, p. 561 sq. 3, p. 134.

[11]) Cic. p. Cluent. 24, 66.

[12]) ib. 25, 68.

promissis excitavit, iudiciumque se corrupturum pollicitus est. Acceptis autem HS sexcentis quadraginta millibus, quum intelligeret, illo absoluto, pecuniam illam aut iudicibus dispertiendam aut ipsi reddendam fore, damnato, repetiturum neminem, capit hoc consilium, ut pecuniam quibusdam iudicibus levissimis polliceatur, dein eam postea supprimat, ut, quoniam graves homines sua sponte severe iudicaturos putabat, hos, qui leviores erant, destitutione iratos Oppianico redderet. Ita quum condemnatus esset Oppianicus, [13]) statim L. Quintius, tr. pl., vehementem concionem habuit: nulla esse iudicia, agi fortunas omnium clamitabat (p. Cluent. 28, 77). Ac multae credo in eundem modum iudicatae his iudicibus caussae sunt, certe tanta est senatoriorum iudiciorum apud populum invidia orta, ut in tanta plerorumque iudicum corruptione, vexatis provinciis, fessis populi Romani sociis toto orbe terrarum, accusatoribus praevaricatione infamibus, iudicia equestris ordinis flagitarentur. [14]) Itaque a. 70 in divinatione in Q. Caecilium Cicero [15]) „Populus Romanus, inquit, tametsi multis incommodis difficultatibusque affectus est, tamen nihil aeque in republica atque illam veterem iudiciorum vim gravitatemque requirit. Iudiciorum desiderio tribunicia potestas efflagitata est, iudiciorum levitate ordo quoque alius ad res iudicandas postulatur; iudicum culpa atque dedecore etiam censorum nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscitur, id iam populare atque plausibile factum est.“ Et in actione ipsa, quae tribus mensibus post habita est „Inveteravit iam, inquit, opinio perniciosa reipublicae nobisque periculosa, quae non modo Romae, sed et apud exteras nationes omnium sermone percrebuit, his iudiciis, quae nunc sint, pecuniosum hominem, quamvis sit nocens, neminem posse damnari“, [16]) hortaturque iudices, ut in ipso discrimine ordinis totius, damnato Verre sedarent aliquando invidiam infamiamque iudiciorum, eorumque amissam existimationem reconciliarent. „In eo enim esse, ut post hanc per aliquot iam annos conceptam huic ordini turpiditudinem ad alium ordinem iudicia transferenda videantur.“ [17]) Et alio loco [18]) „Cognoscet, inquit, ex me populus Romanus, quid sit — quod iudiciis ad senatorum ordinem translatis, sublataque populi Romani in unumquemque nostrum potestate, Q. Calidius damnatus dixerit, minoris HS tricies praetorium hominem honeste non posse damnari: [19]) quid sit, quod P. Septimio senatore damnato, Q. Hortensio praetore, de pecuniis repetundis, lis aestimata sit eo nomine, quod ille ob rem iudicandam pecuniam accepisset: quod in C. Herennio, quod in C. Popilio senatoribus, qui ambo peculatus damnati sunt, quod in

---

[13]) Cic. pr. Cluent. c. 24 — 28.

[14]) Verba fere sunt Pseudo-Ascon. in div. p. 99 Or.

[15]) 3, 8.

[16]) Act. I, 1, 1.

[17]) Act. in Verr. I, 8, 20. 16, 49.

[18]) ib. 13, 28.

[19]) Praetor is fuerat a. 79. Accusatus a Lollio ex praetura Hispaniensi atque damnatus, quum sensisset iudicibus pecuniam contra se datam, exclamavit: Vel idoneam mercedem pro meo capite pacisci debuistis. Pseudo-Ascon. p. 145 Or. Verr. Act. 3, 25, 63.

M. Attilio, qui de maiestate damnatus est, hoc planum factum est, eos pecuniam ob rem iudicandam accepisse; quod inventi sunt senatores, qui C. Verre praetore urbano sortiente, exirent in eum reum, quem incognita caussa damnarent; quod inventus est senator, qui, quum iudex esset, in eodem iudicio et ab reo pecuniam acciperet, quam iudicibus divideret, et ab accusatore, ut reum damnaret." His atque huiusmodi plura, quae sunt apud Ciceronem, [20]) reputantibus dubium non erat rempublicam stare non posse, nisi ad equestrem ordinem iudicia referrentur. [21])

Atque iam Sullanis temporibus praevideri potuit, ordinem equestrem, quamvis afflictum proscriptione, privatumque iis, quibus antea valuit, privilegiis, tamen brevi easdem vires recuperaturum; si quidem ea quidem, quae generibus quibusdam certis continetur, nobilitas exstingui tempore potest, divitum autem cum ipsa civitate et numerus et potentia crescit. Quum enim statim post Sullae mortem pateret, esse etiamtum quasdam in civitate partes equites, iique paucis annis veteres vires recepissent, dubitari non potuit ab prudentibus, quin, nisi vetus dignitas equitibus restitueretur, summum discrimen immineret ab iis adversariis, quibus ne illi quidem, qui Gracchanis temporibus erant optimates, resistere potuissent. Ii igitur, qui, etsi Sullanam reipublicae constitutionem durare non posse intelligebant, tamen, quoquo modo fieri potuit, penes optimates esse gubernacula reipublicae cupiebant, coniunctionem utriusque ordinis, si non illam, quae fuerat ante Gracchi tempora, at tamen aliquam restituendam esse sentiebant: qui populi caussam contra optimates susceperant, aut, ut tum fieri coeptum est, specie popularitatis turbare rempublicam conflictantibusque partibus superiores evadere ipsi contenderunt, nihil antiquius habere debebant, quam, ut concordiam senatus equitumque dirimerent. Unus erat, qui utrosque coniunxit, bellorum civilium metus, quippe utrique pares divitiis, vastatis provinciis, incerto totius Italiae statu, parem fortunarum iacturam extimescebant: [22]) multa erant, quae supra explicavi, quae utrosque disiunxerunt. Alterius partis principio dux et propugnator Pompeius, et postquam et hic senatum deseruit, Cicero, alterius Caesar erat. Quorum ut cuiusque aut ratio ferebat aut valebat auctoritas, aut sedatae sunt aut incitatae discordiae ordinis utriusque, dum utroque a Caesare subiecto et dignitate sua privato, certus et tranquillus utriusque status sub Augusto factus est.

3. Quae quum ita essent, duae deinceps ad populum rogationes perlatae sunt, altera Cn. Pompeii de restituenda tribunicia potestate, altera L. Aur. Cottae, praetoris a. 70, de mutandis iudiciis. Quarum in priore perferenda quum neque Q. Catulus, propugnator ille optimatium [23]) princepsque Sullanae factionis, [24]) negaret in senatu,

---

20) Act. I, c. 14, 15. II. 1, 2, 8. pr. Cluent. 22.
21) in Verr. II, 3, 96, 223. 224.
22) v. not. 64.
23) Sall. Histor. 1, p. 182 Gerl.
24) Pseudo-Ascon. in Act. II in Verrem p. 200 Or. τὰ πρῶτα τῆς βουλῆς. Dio. 36, 13.

patres conscriptos iudicia male et flagitiose tueri, — neque enim si in rebus iudicandis populi Romani existimationi satisfacere voluissent, tanto opere homines fuisse tribuniciam potestatem desideraturos [25]) — neque ipse Pompeius dissimularet populatas vexatasque esse provincias, iudicia autem turpia et flagitiosa fieri: ei rei se providere et consulere velle; maxima pars optimatium, quamvis Sullam vehementer probantes, [26]) tamen Pompeium non ausi erant reprehendere. [27]) Praevidebant enim vim multitudinis multo etiam tribunis vehementiorem saevioremque esse, eamque, ducem quod haberet, interdum leniorem esse, quam si nullum haberet. [28]) Tribunos non incitando solum, sed etiam sedando populo esse, ortoque tumultu multo magis quam plebem timendam esse saevitiam terroremque militarem. Pompeio igitur non solum, quid optimum, videndum fuisse, sed etiam quid necessarium; qui quum sensisset, deberi non posse civitati illam potestatem, sapientis civis fuisse, caussam nec perniciosam et ita popularem, ut non posset obsisti, perniciose populari civi non relinquere. [29]) Eadem fere in iudiciaria lege argumenta secutus est L. Aur. Cotta, et ipse homo nobilissimus [30]) et postea princeps senatus, [31]) qui quum prudentius iudicaret aliqua ex parte equitibus cedere, quam, quod bis acciderat, iudiciis exturbari, id iudicialium contentionum temperamentum invenisse sibi visus est, ut selecti ex tribus ordinibus iudices caussas aequa ex parte iudicarent. [32]) Tres enim in eius lege [33]) constitutae sunt decuriae iudicum selectorum, [34]) prima senatoria, altera equestris, tertia tribunorum aerariorum, [35])

---

25) Cicero in Verr. 1, 15, 44.

26) Pseudo-Ascon. p. 147 Or.: In invidia tunc Pompeius fuit, quod consul redderet populo tribuniciam potestatem.

27) Cic. de legg. 3, 9, 22.

28) ib. 3, 10, 23.

29) id. ib. 3; cf. 10—11. Aliter Drumannus 4, p. 388 sqq.

30) Cic. in Verr. II, 2, 71, 174: „At quorum iudiciis condemnatum? nempe eorum, quos ii, qui severiora iudicia desiderant, arbitrantur res iudicare oportere, publicanorum iudicio: quos videlicet nunc populus iudices poscit, de quibus, ut eos iudices habeamus, legem ab homine non nostri generis, non ex equestri loco profecto, sed nobilissimo promulgatam videmus. Decumani, hoc est principes et quasi senatores publicanorum removendas de medio literas censuerunt. Habeo ex iis, qui adfuerunt, quos producam, quibus hoc committam, homines honestissimos et locupletissimos istos ipsos principes equestris ordinis, quorum splendore vel maxime istius, qui legem promulgavit, oratio et caussa nititur“.

31) Cic. pr. Sest. 34, 73. Is quantopere Ciceroni faverit, testatur Cicero ipse ad Att. 12, 21, 1. Phil. 2, 6, 13. de legg. 3, 19, 45. pr. domo 26, 68. 32, 84.

32) Ascon. in Pison. p. 16. 19 Or. in Cornel. p. 67 Or. p. 78 Schol. Bob. p. 229, 17. p. 235, 13. p. 339. Pseudo-Ascon. in div. p. 103. Observatum tamen esse videtur, ut numeri singulorum ordinum uno duobusve differrent. In Miloniana caussa sententiam tulerunt senatores 18, equites 17, tribuni 16. v. Ascon. p. 54 Or. iidem numeri in caussa M. Sauffeii. v. Ascon. l. l. In M. Scauri caussa, ut Asconius p. 30 Or. tradit, senatores 22, equites 23, tribuni 25, in quo numero quanquam Madv. de tribb. aer. p. 18 non dubitat, quin error sit, tamen quo minus ei accedam, impedit numerus iudicum 56 in Clodii caussa (Cic. ad Att. 1, 16) quo dissoluto effici videntur 17, 18, 21. In caussa Procilii, acta a. 54, erant 50 iudices (Cic. ad Att. 4, 15, 4) i. e. 15 + 16 + 19. Denique de Gabinio a. 54 sententias tulerunt 70 iudices, i. e. ut in caussa Scauri 22 + 23 + 25. v. Cic. ad Q. fratr. 3, 4 init.

33) Data est lex sub finem a. 70, ita ut ab initio demum a. 69 valuerit. v. Garat. ad Verr. 1, 13. cf. Verr. 2, 71. 3, 96. 5, 69.

34) Iam lege Cornelia qui iudicabant senatores in duas decurias descripti fuerunt. v. Cic. Verr. 2, 32, 79: „Hic alteram decuriam senatoriam iudex obtinebit?“ ib. I extr. „et hac decuria vestra“ p. Cluent. 37, 103. „Uno iudicio multa sunt ab eo petita, sicut ab Iunio, quod non suae decuriae numero, neque ex lege sedisset“. v. n. 37

35) Summam, quae hucusque erat, de hoc genere hominum dubitationem primus sustulit ea, qua excellit ingenii sol-

qui iudices quum initio omnes tabellas in unam cistam coniecissent, postea id a. 60 lege Fufia [36]) mutatum est, ex qua singulis singuli ordines cistis sententias ferebant. [37]) Non minus hos iudices quam Sullanos venales fuisse, ne multa afferam, et Catilinae et quattuor annos post Clodii caussa docuit, quorum ille quum a. 65 a P. Clodio repetundarum ex Africa accusatus esset, corruptis a Lentulo Sura iudicibus [38]) absolutus est: [39]) in huius caussa consessus fuit, ut Cicero dicit, maculosorum senatorum, nudorum equitum, tribunorum, non tam aeratorum, quam, ut appellantur, aerariorum. [40]) Verum effecta hac lege duorum in reipublica potentissimorum ordinum erat coniunctio, in eaque summum huius legis momentum esse iis scriptoribus recte visum est, qui omissa tribunorum mentione cum equitibus hac lege denuo communicata esse iudicia

---

lertia Madvigius in diss. de tribunis aerariis. Havniae 1838. Tribuni aerarii ordinem efficiebant. (Ascon. ad or. Corn. p. 67 Or. Pseudo-Sall. de ord. rep. c. 3) erantque e plebe (Dio. 43, 25). Quod autem Cato ap. Gell. 7, 10. Varro de l. l. 5 p. 180 Sp. Festus v. aerarii, denique Pseudo-Ascon ad Verr. 1, 13, 34 scribunt, homines quosdam hos fuisse, qui stipendium militi dissolverent, et pecuniam publicam aliqua ex parte tractarent, id ad hos, quibus Cotta iudiciorum partem tradidit, pertinere non posse, iam ante Madvigium p. 9 accurate demonstraverat, quem ille neglexit, Ferratius ad Verr. 2, 1, 13. Nam et aerarium ad quaestores pertinebat, neque tribunorum unquam haec dividendae pecuniae opera commemoratur, et magistratus omnis iudicandi vacationem habebant. Denique ex lege Pompeia, de qua infra dicam, tribuni aerarii, ut omnes iudices, amplissimo ex censu ex centuriis legebantur. Et certum ordinem censu ab reliquis separatum fuisse tribunos aerarios, tribus locis docet Cicero, Cat. IV, 7, 15, ubi in enumeratione ordinum equitibus Romanis proxime subiicit tribunos aerarios: pro Rabir. 9, 27, ubi „Quid, inquit, de illis honestissimis viris atque optimis civibus, equitibus Romanis, dicemus, qui tum (sc. quum Saturninus interficeretur) una cum senatu salutem reipublicae defenderunt? quid de tribunis aerariis ceterorumque ordinum omnium hominibus, qui tum arma pro communi libertate ceperunt?“ denique pr. Planc. 8, 21, quo loco constat etiam in municipiis et praefecturis illo tempore, ut equites Romanos, sic tribunos aerarios a reliqua plebe tanquam honestiores separatos fuisse. Tribunos autem aerarios certum quendam censum habuisse, ut senatores et equites, non dubiis argumentis evicit Madv. p. 12. Quomodo autem ortus is ordo fuerit et quomodo ad eum pertineant Catonis ceterorumque, quae supra attuli, testimonia, legas ap. ipsum Madv. p. 15 sqq.

36) Dio 38, 8, de quo l. v. contra Walterum Gesch. d. R. R. disputantem Baiterum in ind. leg. p. 178. probante Madv. p. 18 n. 28.

37) Ascon. in or. in tog. candid. p. 90 Or.: „Catilina (in iud. repetund. a. 65) ita liberatus est, ut eum senatorum urna damnaret, equitum et tribunorum absolveret“. cf. de caussa Sex. Clodii, acta a. 56, Cic. ad Q. fratr. 2, 6, 6. Senatorum enim urna copiose absolvit, equitum adaequavit, tribuni aerarii condemnarunt; de Scauri caussa, acta eodem anno, Ascon. p. 30 Or. Sententias tulerunt senatores duo et XX, equites tres et XX, tribuni aerarii XXV, ex quibus damnaverunt senatores IV, equites II, tribuni II. Cic. ad Q. fr. 2, 16, 3 (ex anno 54). Quo die haec scripsi, Drusus erat de praevaricatione a tribunis aerariis absolutus, in summa quattuor sententiis, quum senatores et equites damnassent, de caussa Milonis, a. 52 acta, Ascon. p. 53 Or. Peracta utrinque caussa singuli quinos accusator et reus senatores, totidem equites et tribunos aerarios reiecerunt, ita ut unus et L sententias tulerint. Senatores condemnaverunt XII, absolverunt VI. Equites condemnaverunt XIII, absolverunt VI. Tribuni aerarii condemnaverunt XIII, absolverunt III. cf. eundem de caussa M. Saufeii p. 54 Or. Coelius epp. ad fam. 8, 2 init. Certe inquam, absolutus est; (sc. Valerius Messala, de ambitu accusatus a. 51) me in re praesenti pronuntiatum est et quidem omnibus ordinibus et singulis in unoquoque ordine sententiis. Iudicium tamen fiebat secundum maiorem partem universorum. V. de caussa M. Servilii, a. 51 acta, Caelium in epp. ad fam. 8, 8, 3. Mittit in consilium eosdem illos, qui lites aestimarant, iudices (sc. Laterensis praetor). Quum aequo numero sententiae fuissent, Laterensis, leges ignorans, pronuntiavit, ut solent, NON REDIGAM. Postquam discessit et pro absoluto Servilius haberi coeptus est, legisque unum et centesimum caput legit, in quo ita erat: Quod eorum iudicum maior pars iudicarit, id ius ratumque esto: in tabulas absolutum non retulit, ordinum iudicia perscripsit.

38) Plut. v. Cic. 17.

39) v. Ascon. ad or. in tog. candid. p. 85. Or. 86. 87. sqq.

40) Cic. ad Att. I, 16.

narraverunt.[41]) Ac postquam ei libidini legendorum per praetorem iudicum, de qua in caussa Clodii iis verbis, quae modo attuli, Cicero questus est,[42]) per legem Pompeiam (a. 55) ita obviam itum est, ut amplissimo ex censu ex centuriis aliter atque ante lecti iudices, aeque tamen ex illis tribus ordinibus, res iudicarent,[43]) factum est, ut iudices, qui cuncti summum in suis ordinibus censum haberent, obliti veterum discordiarum, nobilitati iam non officerent.[44]) Inde est, quod Sallustius B. C. 39 dicit: „Postquam Cn. Pompeius ad bellum maritimum atque Mithridaticum missus est (a. 67), plebis opes imminutae, paucorum potentia crevit. Hi magistratus, provincias aliaque omnia tenere, ipsi innoxii, florentes, sine metu aetatem agere, ceteros iudiciis terrere, quo plebem in magistratu placidius tractarent“.[45]) Accesserunt duae res, quae equites Romanos arctius cum senatu coniungerent, lex Roscia et Catilinaria coniuratio. Cic. in or. Corn. p. 78 Or. ad nobiles „Quamdiu quidem, inquit, hoc animo erga vos illa plebs erit, quo se ostendit esse, quum legem Aureliam, quum Rosciam non modo accepit, sed etiam efflagitavit“. Quod de Aurelia fortasse concedendum est, de Roscia non item. Roscius enim Otho,[46]) vir optimatibus deditus, in tribunatu suo a. 67, quum iam Pompeio diffiderent optimates, et legi Gabiniae cum illis tam audacter restitit, ut haec impetu tantum plebis perferri posset,[47]) et lege theatrali equites optimatibus conciliavit, „qua confirmavit, in theatro ut equitibus Romanis quattuordecim ordines spectandi gratia darentur“.[48]) Coniicitur quidem his verbis, quae sunt Asconii, et ex ceteris veterum testimoniis, qui omnes restituisse id ius ordini equestri Othonem

---

[41]) Cic. pr. Cluent. 47, 130. Illo ipso tempore — erant iudicia cum equestri ordine communicata. Liv. ep. 97. Iudicia quoque per L. Aurelium Cottam praetorem ad equites translata sunt. Plut. Pomp. 22. *τὰς δίκας περιεῖδεν αὖθις εἰς τοὺς ἱππέας νόμῳ μεταφερομένας.* Vellei. 2, 32. Cotta iudicandi munus aequaliter inter utrumque ordinem, senatum et equites partitus est. Pseudo-Ascon. p. 127 Or. Cotta legem promulgarat de restituendis iudiciis equestri ordini. Tac. Ann. 11, 22. Et Cicero in Verrinis saepe. cf. Div. 3, 8. Act. 1, 16, 49. 2, 71, 174. 5, 69, 177. 3, 96, 223. Cotta rempublicam sistere negat posse, nisi ad equestrem ordinem iudicia referantur.

[42]) v. Cic. in Pison. 39, 40 emend. a Madv. p. 5. Ecquid vides? ecquid sentis, lege iudiciaria lata, quos posthac iudices simus habituri? Neque legetur, quisquis voluerit, nec quisquis noluerit, non legetur. Nulli coniicientur in illum ordinem, nulli eximentur; non ambitio ad gratiam, non iniquitas ad simulationem coniicietur. Iudices iudicabunt ii, quos lex ipsa, non quos hominum libido delegerit.

[43]) Ascon. ad h. l. p. 16 Or. Numero iudices erant 360. Vellei. 2, 76. Plut. Pomp. 55. cf. Orell. ad epp. ad Att. 8, 16, 2. Trecentos habet Coelius ad fam. 8, 8. cf. Cic. Phil. 1, 8. Sall. epist. 2 ad Caes. de rep. ord. p. 270. 274. Gerl. Drum. 4, 519.

[44]) De lege Pompeia de vi et ambitu, qua multa in iudiciis novata sunt, nihil tamen in iudicum lectione, v. Madv. de tribb. aer. p. 6.

[45]) cf. Sall. de rep. ord. 2, 3. Summam potestatem moderandi de vectigalibus, sumptibus, iudiciis senatoribus paucis tradidit. Iudicia tametsi antea tribus ordinibus tradita sunt; tamen iidem illi factiosi regunt, dant, adimunt, quae libent, innocentes circumveniunt, suos ad honores extollunt. cf. Ascon. in Corn. p. 58 Or.

[46]) Non satis accurate Plutarchus v. Cic. 13. Marcum eum audivisse, fuisse autem praetorem (*στρατηγοῦντα*) dicit. Idem Ciceronis pro Roscio orationem, a. 63 habitam, statim a. 67 habitam esse narrat.

[47]) v. Drum. 4, 405 sq.

[48]) Asc. in Cornel. p. 78 Or. Liv. ep. 99: „L. Roscius, trib. pleb., legem tulit, ut equitibus Romanis in theatro quattuordecim gradus proximi assignarentur“.

consentiunt, aut ante Sullam, quod equidem existimaverim, aut priore tempore iam in XIV ordinibus equites sedisse, [49]) sed tamen ea res incredibile est quantum plebis odium excitaverit. [50]) Nam primum, sicuti P. Africano summae invidiae fuit, quod, quum consul esset cum T. Longo (a. 194 a. Chr. n.), passus est tum primum a populari consessu senatoria subsellia separari, sic idem in equitibus tum plebs aegre ferebat: neque unquam hic mos usque ad imperatorum tempora a theatro ad ludos Circenses perlatus est; [51]) deinde autem, idque maximi momenti erat, non deerant, quos non fugeret, quid assequi hac atque huiusmodi legibus nobilitas studeret. Tamen is eius rei eventus fuit, ut ei viro, qui et auctor horum consiliorum senatui, et Roscii ob hanc legem amicus et fautor esset, [52]) eam ordinum concordiam, qua sola durare posse nobilitatis principatus videretur, si non, quod voluit, in omne aevum, attamen, id quod solum iam fieri potuit, ad breve tempus denuo conciliare contingeret. Cicero enim et tumultum plebis ob Rosciam legem ortam in consulatu suo sedavit, [53]) et utrumque ordinem ita contra Catilinae coniuratos coniunxit, ut non urbem ab incendio perditorum hominum liberatam maiori sibi laudi duxerit, quam ordinis utriusque per se effectam coniunctionem, [54]) postea autem et publicae et suae calamitatis non mi-

49) Ad antiquissima regum tempora hoc ius refert Huschkius de Serv. Tull. p. 361 sq. Idem dicit fratres Stockmannos in dissert. de legibus Rom. theatral. c. 2, p. 27, demonstrare studere, non restitutum esse hoc ius, sed tum primum institutum. Ego, quanquam neque hanc dissertationem vidi, neque iis assentior, qui restituere explicant praestare, ut est in legibus, tamen his locis non multum tribuo. Quum enim Cicero pro Murena 19, 40 dicit: „L. Otho equestri ordini restituit non solum dignitatem, sed etiam voluptatem. Itaque lex haec, quae ad ludos pertinet, est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus“, non ius ipsum, sed iure novo antiquam dignitatem et splendorem restitutum esse dicit, quibus addit fructum iucunditatis, qui dici non item potuit restitutus esse. Tamen hunc locum et Velleius respicere videtur 2, 32, 3. „Otho Roscius lege sua equitibus in theatro loca restituit“, et Dio 36, 25, qui, quod de gratia legis dicit, aperte e Cicerone desumpsit, quum re ipsa paucis tantum ea lex grata fuerit, plebi vero ingratissima. *Ἐσήνεγκε*, inquit, *μὲν οὖν καὶ ὁ Ῥώσκιος νόμον, ἐσήνεγκε δὲ καὶ ὁ Γάϊος Μανίλιος, ὅτε ἐδημάρχησαν, ἀλλ' ἐκεῖνος μὲν (τὰς γὰρ τῶν ἱππέων τὰς ἐν θεάτροις ἕδρας ἀκριβῶς ἀπὸ τῶν ἄλλων ἀφώρισε) καὶ ἔπαινον ἐπ' αὐτῷ ἔλαβε· ὁ δὲ δὴ Μανίλιος καὶ δίκην ὀλίγου ὑπέσχε.* Dionem Ciceronis orationibus usum esse, pluribus demonstravit Wilmans de Dionis Cassii fontibus et auctoritate. Berolini 1836 p. 32 sqq.

50) Plut. Cic. 13.

51) Tac. Ann. 15, 32: „Equitum Romanorum locos sedilibus plebis anteposuit apud Circum (sc. Nero). Namque ad eam diem indiscreti inibant, quia lex Roscia nihil nisi de quattuordecim ordinibus sanxit“. De reliquis legibus theatr. videndus est ad h. l. Lipsius.

52) Cic. pr. Mur. l. l. Roscius, vir fortis, meus necessarius.

53) Plin. H. N. 7, 30. Te dicente legem agrariam, hoc est, alimenta sua abdicaverunt tribus, te suadente Roscio theatralis auctori legis ignoverunt notatasque se discrimine sedis aequo animo tulerunt. Explicatius Plutarchus l. l. Orationis Cicer. pr. Roscio (cf. ep. ad Att. 2, 1) fragmentum v. ap. Orell. Vol. IV, 2, p. 455.

54) Cic. Cat. 4, 7, 15. Quid ego hic equites Romanos commemorem — — — quos ex multorum annorum dissensione ad huius ordinis societatem concordiamque revocatos, hodiernus dies vobiscum atque haec caussa coniungit: quam coniunctionem, si in consulatu confirmatam meo perpetuam in republica tenuerimus, confirmo vobis, nullum posthac malum civile ac domesticum ad ullam reipublicae partem esse venturum. in Pison. 3, 7. Atque ita est a me consulatus peractus, ut nihil sine consilio senatus, nihil non approbante populo Romano egerim, ut semper in rostris curiam, in senatu populum defenderim, ut multitudinem cum principibus, equestrem ordinem cum senatu coniunxerim. Phil. 2, 7, 19. Accusa senatum, accusa equestrem ordinem, qui tum cum senatu copulatus fuit. ad Att. 1, 14, 4. Etenim haec

nimam caussam divulsum ordinum consensum unamque restituendae reipublicae spem in eo consensu positam existimaverit.[55]) Multus est in laudanda equitum erga se fide et constantia Cicero, eumque favorem ab eo tempore, quo primum ad rempublicam accesserit, meruisse, gravissimisque civitatis discriminibus tenuisse se gloriatur. Nam et L. Aur. Cottae, a. 70 de mutandis iudiciis legem laturo, ut e Verrinis patet, aperte faverat, et quum vel plurimum aetatis in publicanorum caussis versatus esset, vehementerque illum ordinem observasset, [56]) in consulatu suo non solum bis contra plebem patrocinium eius suscepit, Roscii defensione et in orationibus contra Rulli legem agrariam, [57]) sed etiam eam rationem administrandae reipublicae est secutus, ut seditiosis omnibus resisteret, singulorum potentiae obstaret, plebem coerceret, denique ita concordiam ordinum tueretur, ut vel iacturam faciendam reipublicae, [58]) vel scelus tegendum [59]) (Drum. 3, 209), retinendorum ordinum caussa iudicaret.

4. Quanquam neque haec in ordinem merita, propter quae si quem alium, se potissimum patronum equestris ordinis appellandum esse ipse non dissimulat,[60]) neque splendidissimi cuiusque equitis familiaritas, neque totius, ex quo ortum se celebrat, ordinis necessitudo [61]) tam fidos ei et Catilinae tempore, [62]) et in Clodiana re [63])

---

erat *ὑπόθεσις* (sc. orationis in senatu coram Pompeio habitae) de gravitate ordinis, de equestri concordia, de consensione Italiae, de intermortuis reliquiis coniurationis. ep. ad Att. 1, 18, 3, scripta a. 60. Quantum hoc vulnus? facto senatusconsulto de ambitu, de iudiciis, nulla lex perlata, exagitatus senatus, alienati equites Romani (de hoc v. infra). Sic ille annus duo firmamenta reipublicae per me unum constituta evertit: nam et senatus auctoritatem abiecit et ordinum concordiam disiunxit. Nihil praeter hos locos secutus est Plinius H. N. 33, 8. M. Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo Catilinariis rebus, ex eo se ordine profectum esse celebrans eiusque vires peculiari popularitate quaerens.

55) Cic. de harusp. resp. 28, 60. Aerarium nullum est, — — — auctoritas principum cecidit, consensus ordinum divulsus. cf. Cic. Cat. 4, 7, 15.

56) Verr. 2, 2, 73.

57) Cicero quum legi Serviliae Rulli, quae dividi plebi iussit agros publicos, resisteret aperte, gratificatus est publicanis, qui eorum agrorum vectigalia redemerant. v. or. de l. agrar. 2, 19. Iubet venire, quae Attalensium, quae Phaselitum, quae Olympenorum fuerint; agrumque Agerensem et Orindicum et Gedusanum; haec P. Servilii imperio et victoria vestra facta sunt. Adiungit agros Bithyniae regios, quibus nunc publicani fruuntur; deinde Attalicos agros in Chersonneso, in Macedonia, qui regis Philippi sive Persae fuerunt, qui item a censoribus locati sunt et certissimum vectigal.

58) ad Att. 2, 1, 7.

59) v. infra; interim v. Drum. 3, p. 209.

60) Cic. Philipp. 6, 5, 13.

61) Cic. ad Q. fratr. 1, 1, 35. Ea necessitudo, quae est nobis cum publicanis. ad fam. 13, 65, 2. Praeterea cum sociis scripturae mihi summa necessitudo est, non solum ob eam caussam, quod ea societas universa in mea fide est, sed etiam quod plerisque sociis utor familiarissime. pr. domo 22, 56. Quid nostri illi equites Romani? pr. lege Manil. 2. Qui (equites) ad me pro necessitudine, quae mihi est cum illo ordine, caussam reipublicae periculaque rerum suarum detulerunt. in Pison. 17. Nam ille gurges atque helluo quum equites Romanos in provincia, quum publicanos, nobiscum et voluntate et dignitate coniunctos, omnes fortunis, multos fama vitaque privasset. pr. Rabirio 6, 15. Nunc vos, equites Romani, videte. Scitis me ortum e vobis omnia semper sensisse pro vobis; nihil horum sine magna cura et summa caritate vestri ordinis loquor. Alius alios homines et ordines, ego vos semper complexus sum. in Pison. 4. se desiderium equestris ordinis vocat. pr. Milone 34, 94.

62) Plut. Cic. 14. *καὶ τεθωρακισμένον αὐτὸν οἵ τε δυνατοὶ πάντες ἀπὸ τῆς οἰκίας, καὶ τῶν νέων πολλοὶ κατήγαγον εἰς*

equites praestitit, quam, quae est communis divitibus, novarum rerum seditionumque formido, [64]) quae tum quoque, quum omnem dignitatem iudiciorum tenebant, contra Saturninum Glauciamque (a. 100) cum optimatibus eos coniunxerat. [65]) Qua sublata quam fallax quamque breve tempus duratura concordia esset ordinum, biennio post Catilinae interitum patuit, quum is, qui unus eius concordiae acerrimus adversarius erat, I. Caesar, quamvis non equitibus magis quam senatui faveret, [66]) tamen gratificandum aliquid iis arbitraretur, ut, etiamsi non ipsi eos conciliaret, tamen a nobilium parte disiungeret. Anno enim 61 Clodius sceleris contra bonam deam accusatus, corruptis iudicibus, qui erant lege Aurelia, absolutus erat. Cuius iudicii invidia quum et magna esset, neque ad eos, qui erant inter iudices nobilibus dediti, pertineret, promulgatum ex senatusconsulto est, ut de iis, qui ob iudicandum pecuniam accepissent,

---

τὸ πεδίον. Cic. in Pison. 5. Erat non solum domus mea sed totum palatium senatu, equitibus Romanis, civitate omni refertum. cf. Cic. or. Catil. 4, 7, 15. Plin. 33, 8. Sall. Cat. 49. Equites Romani, qui praesidii caussa cum telis erant circum Concordiae. Idem Caesari, egredienti ex senatu, in quo contra summum supplicium coniuratorum dixerat, gladiis minitati sunt. Sall. l. l. Plut. Caes. 8. cf. Suet. Caes. 14. Drum. 3, p. 174.

63) Promulgata lege Clodii equites Romani omnes vestem mutaverunt, Ciceronemque viginti fere millia iuvenum prosecuti sunt. (Plut. Cic. 31. *Οὐ μὴν ἀλλὰ τῷ Κικέρωνι πρῶτον μὲν ὀλίγου δεῖν σύμπαν τὸ τῶν ἱππικῶν πλῆθος συμμετέβαλε τὴν ἐσθῆτα, καὶ δισμυρίων οὐκ ἐλάττους νέων παρηκολούθουν κομῶντες καὶ συνικετεύοντες.* cf. pr. domo 22, 56. pr. Sext. 11. ad Quir. post red. 5, 13.) Senatu autem a Gabinio convocato equites in Capitolium convenerunt ac legatos pro Cicerone ad consules et senatum, quum alios ex suo ordine, tum Q. Hortensium et C. Curionem, senatorios viros, miserunt. Sed non modo hos aditu curiae prohibuit Gabinius, sed L. Aelium etiam Lamiam, equestris ordinis principem, vehementius instantem, postea relegavit: (Cic. pr. Sext. 13, 32, 33. p. red. in sen. 5, 12. ad fam. 11, 16; in Pison. 27.) Hortensius et Curio vix consulis iram Clodiique in concione furorem effugerunt, C. Vibienus vitam amisit, Gabinius autem in concione neque iam senatum quidquam in republica posse et equites Romanos daturos illius diei poenas affirmavit, quo, Cicerone consule, cum gladiis in clivo Capitolino fuissent. Cic. pr. Sext. 12, 28. Dio 38, 16. Drum. 2, 246 et praeter locos, quos hic attulit, Cic. or. post red. ad Quir. 6, 13; 7, 16. post red. in sen. 5, 12: 13, 33. pr. domo 21, 55; 22, 56. Quum autem Pompeius de revocando Cicerone ferret, rogari populum a senatu, ab equitibus Romanis, ab Italia cuncta dixit. (ad Quir. p. red. 7, 16.) cf. pr. domo 28, 74. Proximus est dignitati senatus ordo equester. Omnes omnium publicorum societates de meo consulatu ac de meis rebus gestis amplissima atque ornatissima decreta fecerunt. cf. de harusp. resp. I, I, 1. 2, 5. 8, 17. Quum ab hoc eodem impurissimo parricida rogarer, cuius essem civitatis, respondi, me probantibus et vobis et equitibus Romanis eius esse, quae carere me non potuisset. cf. in Pison. 14. pr. Sext. 7, 17. 8, 18. 11, 25. 12, 27. 15, 35. 16. 38. 31, 68. 40, 87. Quomodo etiam post reditum Ciceronis cum senatu contra Clodium equites consenserint, v. ap. Dion. 39, 29.

64) Cic. ad Q. fratr. 1, 1, 6: „Constat enim provincia Asia — — — ex eo genere civium, qui aut, quod publicani sunt, nos summa necessitudine attingunt, aut, quod ita negotiantur, ut locupletes sint, nostri consulatus beneficio se incolumes fortunas habere arbitrantur“. pr. Planc. 35, 87. „Aderat mecum cunctus equester ordo, quem quidem in concionibus saltator ille Catilinae consul proscriptionis denuntiatione terrebat“. post red. in sen. 13, 33. „Quare quum viderem senatum ducibus orbatum, me a magistratibus partim oppugnatum, partim proditum, partim derelictum, servos simulatione collegiorum nominatim esse conscriptos, copias omnes Catilinae paene iisdem ducibus ad spem caedis et incendiorum esse revocatas, equites Romanos proscriptionis, municipia vastitatis, omnes caedis metu esse permotos“, et quae seq. Pr. domo 21, 55: „Quid quum Gabinio Syria dabatur, Macedonia Pisoni, — — ut tibi omnia permitterent, te adiuvarent, — — senatus auctoritatem irriderent, equitibus Romanis mortem proscriptionemque minitarentur — ne tum quidem vis erat?“ ib. 36, 96: „Quum omnium perditorum et coniuratorum incitata vis, duce tribuno plebis, consulibus auctoribus, afflicto senatu, perterritis equitibus Romanis — — non tam in me impetum faceret, sed per me in omnes bonos.“ rell. ad Att. 1, 19, 4.

65) Cic. pr. Rabirio 7. cf. c. 9.

66) Cic. Phil. 2, 37: „Quis enim cuiquam inimicior, quam Deiotaro Caesar? aeque atque huic ordini, ut equestri, ut Massiliensibus, ut omnibus, quibus rempublicam populi Romani caram esse sentiebat“.

quaereretur. Quae res quum paene a senatu disiunxisset equites,[67]) illud senatusconsultum aegre ferentes, accessit, quod Asiani,[68]) qui de censoribus conduxerant, questi sunt in senatu, se cupiditate prolapsos nimium magno conduxisse, postulaveruntque, ut induceretur locatio.[69]) Quod ut auderent postulare, Caesaris impulsu Crassus effecerat,[70]) summumque erat, ne, si nihil impetrassent, plane alienarentur a senatu, periculum. Quamobrem princeps inter adiutores eorum, quamvis et invidiosa res et turpis postulatio erat, Cicero exstitit, multaque in senatu de ordinum dignitate et concordia dixit, conglutinatam a se concordiam ordinum tuitus, ita tamen, ut quam infirma ea esset, non ignoraret.[71]) Obstitit iis Metellus Celer, Cs. designatus, et Cato, qui responsum iis a senatu dari non passus est. Acta res est Kal. Decembribus: Kal. Februariis anni sequentis Cicero ad Att. 1, 18, 7 „Unus, inquit, est, qui curet constantia magis et integritate, quam, ut mihi videtur, consilio aut ingenio, Cato; qui miseros publicanos, quos habuit amantissimos sui, tertium iam mensem vexat", eandemque sententiam confirmavit de off. 3, 22, 88. „Ego cum Catone saepe dissensi. Nimis mihi praefracte videbatur aerarium vectigaliaque defendere, omnia publicanis negare, quum in hos benefici esse deberemus, eoque magis, quod illa ordinum coniunctio ad salutem reipublicae pertinebat;" et alio loco ad Att. 2, 1, 7 non minus esse dicit probandam medicinam, quae sanet vitiosas partes reipublicae, quam quae exsecet. Nihil impudentius quidem esse publicanis repudiantibus. Sed tamen fuisse retinendi ordinis caussa faciendam iacturam. Iam tum fremebant equites senatum impediri, quominus id, quod hostibus erat tributum, responsum redderetur equitibus.[72]) Quum autem per totum illum annum publicanis, quamvis saepe petentibus[73]) responsum nihil esset, tum vero plane a senatu equites alienati sunt. „Sic ille annus, Cicero ait ad Att. 1, 18, 3. duo firmamenta reipublicae per me unum constituta evertit; nam et senatus auctoritatem abiecit et ordinum concordiam disiunxit". Atque eodem anno, quum L. Flavius tr. pl. lege agraria in Pompeianorum militum commodum promulgata resistentem sibi cum optimatibus Metellum consulem in carcerem coniecisset,[74]) quum nullum iam, soluta ordinum concordia, contra seditiosos auxilium esset, his verbis ad Att. 2, 1, 6 idem conquestus est: „Nunc vero equitatus ille, quem ego in clivo Capitolino te signifero ac principe collocaram, senatum deseruit.

---

[67]) Cic. ad Att. 1, 17, 8. cf. ad Att. 1, 16, 6: „Reipublicae statum illum, quem tu meo consilio, ego divino confirmatum putabam, qui bonorum omnium coniunctione et auctoritate consulatus mei fixus et fundatus videbatur, nisi qui nos deus respexerit, elapsum scito esse de manibus uno hoc indicio", ad Att. 1, 19, 6: „Sed posteaquam primum Clodii absolutione levitatem infirmitatemque iudiciorum perspexi, deinde vidi nostros publicanos facile a senatu disiungi, quamquam a me ipso non divellerentur". — rell.

[68]) cf. de hac re Drum. 3, p. 209 sqq. cf. p. 195. 2. p. 27. 218 Garat. ad Cic. pr. Planc. 14.

[69]) Cic. ad Att. 1, 17, 9. pr. Mur. 30, 62.

[70]) id. ib. cf. Drum. 3, 195.

[71]) Cic. l, l.

[72]) Cic. pr. Planc. 14.

[73]) Dio. 38, 7.

[74]) Drum. 4, p. 494.

— — Restitit et pervicit Cato. Itaque nunc, consule in carcere incluso, saepe item seditione commota, aspiravit nemo eorum, quorum ego concursu itemque ii consules, qui post me fuerunt, rempublicam defendere solebant". — Neque prius ea res ad finem adducta est, quam Caesar, Cs. a. 59, postquam populum lege agraria sibi devinxit,[75] id, quod inchoaverat, perfecit, non ita quidem, ut induceretur locatio sed ut tertia pars mercedum publicanis remitteretur.[76] Hac remissione data per populum, quum ea res ad senatum pertineret, equites ita secum Caesar coniunxit, ut eum tanquam deum colerent.[77] Tam infirma fuit concordia ordinum, tamque incertum in equitum fide praesidium esse, laudator eius ordinis ipse anno sequente expertus est. Qui quanquam timoris tum temporis ordinem arguit,[78] tamen iam neque in altero neque in coniuncto utroque ordine vires reipublicae erant, cuius regimen uni cesserat. Anno 49 a. Chr. n. quum secundum bellum civile immineret, Pompeio paucisque, apud quos tum erat reipublicae iudiciorumque potentia,[79] etiam equites plerique, novarum rerum adversarii, accesserunt. Pompeium Roma Capuam decedentem senatores equitumque primores[80] secuti sunt, ut inter septem millia equitum, quos habebat, multi equites Romani iuvenesque nobiles essent,[81] contra quos, cultu armorumque nitore splendentes celebratum illud: Miles faciem feri! a Caesare in pugna Pharsalica dictum est.[82] Ubi autem Caesar bello finito dictator Romam reversus est, desiitque

---

76) ib. 3, 203 sqq.

76) Suet. Caes. 20. Dio. l. l. Quod Drumannus 3, p. 210 dicit, rogationem suam Caesarem ita tulisse, ut damnum se dixisset velle resarciri, quod publicani per bellum Mithridaticum accepissent, secutus, credo, Schol. Ambr. ad Cic. pr. Planc. 14, de eo puto rectius dixisse Garat. ad h. l. Nam quod Suetonius v. Caes. c. 20 dixi, Caesarem monuisse, ne in locatione novorum vectigalium immoderatius licerentur, docet petendi caussam eandem mansisse, quae antea fuit. Neque turpem caussam publicani protulissent antea, si tam iustam potuissent proferre.

77) App. 2, 13.

78) ad Q. fratr. 1, 4, 4.

79) Caes. B. C. 1, 4.

80) Dio 41, 6. ceteros ll. v. ap. Drum. 3, p. 425, n. 21.

81) App. 2, 50, 52. Dio. 41, 55. Plut. Pomp. 64. *ἱππεῖς δὲ Ῥωμαίων καὶ Ἰταλῶν τὸ ἀνθοῦν, ἑπτακισχίλιοι, γένεσι καὶ πλούτῳ καὶ φρονήμασι διαφέροντες.* Lucan. 7, 581. Permixta secundo ordine nobilitas. Senec. ep. 103 p. 145 Bip. Si animo complecti volueris illius imaginem temporis, videbis illinc (a Caesare) plebem et omnem erectum ad res novas vulgum: hinc (a Pompeio) optimates et equestrem ordinem, quidquid erat in civitate sancti et lecti: duos in medio relictos, rempublicam et Catonem. et de proscriptione Antonii Q. Haterius ap. Senec. suas. 7 p. 52 ed. Amstel. Pendet nefariae proscriptionis tabula: tot praetorii, tot consulares, tot equestris ordinis viri periere: nemo relinquitur, nisi qui servire possit.

82) Plut. Pomp. 69. *κατιδὼν δὲ πεφραγμένον ἵππῳ τοσαύτῃ τῶν πολεμίων τὸ εὐώνυμον καὶ φοβηθεὶς τὴν λαμπρότητα τοῦ ὁπλισμοῦ — — ἐκέλευσεν παίειν ἄνω; συντιτρώσκοντας ὄμματα καὶ πρόσωπα τῶν πολεμίων· οὐ γὰρ μενεῖν τοὺς καλοὺς τούτους καὶ ἀνθηροὺς πυῤῥιχιστὰς διὰ τὸν ὡραϊσμόν, οὐδ' ἀντιβλέψειν πρὸς τὸν σίδηρον ἐν ὀφθαλμοῖς γενόμενον.* et 71. *οἱ δὲ* (equites Pompeii) *ἅτε μάχης πάσης ἄπειροι, τοιαύτην δὲ μηδὲ προσδοκήσαντες — — αἰσχρῶς ἐτράποντο.* Plut. Caes. 45. Speravit Caesar *ἄνδρας οὐ πολλὰ πολέμοις, οὐδὲ τραύμασιν ὡμιληκότας, νέους δὲ καὶ κομῶντας ἐπὶ κάλλει καὶ ὥρᾳ μάλιστα τὰς τοιαύτας πληγὰς ὑπόψεσθαι, καὶ μὴ μενεῖν, τὸν ἐν τῷ παρόντι κίνδυνον ἅμα καὶ τὴν αὖθις αἰσχύνην δεδοικότας.* Duces et equites in Bruti exercitu auro et argento ornati erant. Drum. 4, 43. Brevius Plutarcho App. 2, 78. Flor. 4, 2, 50. Oros. 6, 15. Lucan. 7, 574. 575. Polyaen. 8, 23, 25. Ap. Frontin. Strat. 4, 7, 32 C. Caesar, quum in partibus Pompeianis magna equitum Romanorum esset manus eaque armorum scientia milites conficeret, ora oculosque eorum gladiis peti iussit. pro scientia legendum esse e Schwebelii coniectura „magnificentia" non solum *λαμπρότης τοῦ ὁπλισμοῦ* ap. Plut. docet, sed etiam id, quod ab eodem commemoratum Schwebelius praetervidit, quod omni scientia belli carebant hi delicati equites. De quo infra dicetur.

iam contra optimates plebeiorum ope et equitum indigere, utrosque iam plane diversa, atque conciliaverat, ratione continebat. Nam plebem quidem ita coercuit, ut, numero frumentum e publico accipientium deminuto, distractis cunctis, praeter antiquitus constituta, collegiis, provocatione ad populum in quibusdam caussis sublata, iudicia ad iudicum genera duo redigeret, tribunis aerariis, plebeia parte, remotis.[83]) Publicanorum autem opinionem a. 61 conceptam post pugnam Pharsalicam ita frustratus est, ut et eidem, de qua tum res acta erat, provinciae Asiae tertiam partem vectigalium remitteret, iisque ad certam quandam summam constitutis, publicanos severis legibus circumscriberet.[84]) Neque nisi inexspectato Caesaris interitu accidit, ut ad vetera conciliandorum ordinum artificia rediretur; et quamvis nobilium pars etiamtum tam impar esset victoriae recuperandae, ut populus Romanus alteri domino cederet, tamen plebis equitumque placandorum studia reviviscebant. Nondum enim Romam Octavianus venerat, quum L. Antonius legem agrariam promulgavit, qua non plebem solum veteranosque ad studium sui perduxit, sed ita etiam satisfecit equitibus, ut hi, quos vidimus aliis huiusmodi legibus acriter restitisse, Antonio tanquam patrono equestrem statuam ponerent,[85]) quum Cicero ne tum quidem desperaret concordia ordinum se servaturum rempublicam, senatumque, equites, populum aeque infestos esse debere Antonio testaretur.[86]) L. Antonii rogationem Marci fratris lex iudiciaria statim secuta est, qua dissoluta est omnis lex iudiciaria Caesaris.[87]) Nam quum ille plebem e iudiciis amovisset, hic tertiam denuo decuriam instituit, eamque non tribunorum aerariorum, sed, ut Cicero ait, centurionum, nulla ratione census habita. Nam etiam lege Iulia, Pompeia, Aurelia centuriones iudicare potuerunt, sed erat iis, ut equitibus certus quidam census praefinitus, spectabaturque in iudice et fortuna et dignitas.[88]) Antonius contra non solum Antesignanos et manipulares et Alaudas[89]) constituit iudices, sed, ut Cicero quidem vult, aleatores etiam, exsules, Graecos, Cydam Cretensem, portentum insulae, aliosque legum Romanarum morumque ignaros.[90]) Quae lex, promulgata a. 44, quanquam foedere Mutinensi Antonius postulavit, ne abrogaretur,[91]) tamen non multo post cum ceteris Antonii legibus abrogata[92]) finisque iu-

---

83) Suet. Caes. 41. Dio. 43, 25. *τά τε γὰρ δικαστήρια τοῖς τε βουλευταῖς καὶ τοῖς ἱππεῦσι μόνοις ἐπέτρεψεν, ὅπως τὸ καθαρώτατον ὅτι μάλιστα ἀεὶ δικάζοι· πρότερον γὰρ καὶ ἐκ τοῦ ὁμίλου τινὲς συνδιεγίγνωσκον αὐτοῖς.* cf. Cic. Phil. 1, 8.

84) Drum. 3, p. 531.

85) Cic. Phil. 6, 5, 13. Altera (statua) ab equitibus Romanis equo publico, qui item adscribunt: „Patrono." — — Agrum his divisit. O sordidos, qui acceperunt. cf. 7, 6, 16. 17. Drum. 1, 115.

86) Phil. 7, 8, 21. 22. An equites Romanos amplectetur? occulta enim fuit eorum voluntas iudiciumque de M. Antonio, qui frequentissime in gradibus Concordiae steterunt; qui vos ad libertatem recuperandam excitaverunt, arma, saga, bellum efflagitaverunt, me una cum populo Romano in concionem vocaverunt. Hi Antonium diligent? cum his pacem servabit Antonius?

87) Phil. 1, 8, 19.

88) ib. 1, 8, 20.

89) Drum. 1, p. 116, n. 83. 84.

90) Phil. 5, 5.

91) ib. 8, 9, 27.

92) ib. 13, 3. cf. Drum. 1, p. 116

diciariis contentionibus factus est, institutis ab Augusto duabus centuriis novis, altera, ut videtur, et ipsa equitum, altera inferioris census. [93])

Liber III.
Equites sub Augusto.

Cap. I.
Nobilitatis sub imperatoribus reliquiae.

1. Compositis per Octavianum bellis civilibus, „quum ferocissimi, ut est apud Tacitum, per acies aut proscriptione [1]) cecidissent, ceteri nobilium, quanto quis servitio promtior, opibus et honoribus extollerentur, ac novis ex rebus aucti tuta et praesentia, quam vetera et periculosa mallent", senatus auctoritas evanuerat; nobilium gentium iam tum quaedam prorsus exstinctae, ut Attilii, Metelli, Curii, Fulvii; quarundam tenues et rarae stirpes exstabant; nonnullae sub ipso Augusto interierunt; plurimae sequentium saevitiae imperatorum relictae sunt, eaeque aut dissipatis patrimoniis ad miserandam paupertatem delapsae, aut dedecore suo tantorum maiorum gloriam infuscantes. Inde Scipiones adolatores libertorum: [2]) Sullae inopes et socordis ingenii: [3]) Mamerci Scauri, vita probrosi, [4]) opprobria maiorum, per quos olim nobilitas steterat, infami accusandi opera proavos dehonestantes: [5]) Sempronii Gracchi, exulum filii, sordidasque merces mutando vitam sustentantes, ac ne sic quidem tuti a periculo: [6]) Afranii Fabii-

---

[93]) Suet. Octav. 32. Madv. de tribb. aer. p. 13 n. 20: „Walter Gesch. d. R. R. p. 243 Augustum primum tertiam decuriam restituisse, deinde quartam addidisse scribit. Eam quidem tertiam, quae fuerat tribunorum aerariorum, non restituit, eique potius quarta nova respondet. Sed, ut opinor, duos ordines, senatores et equites, commodioris usus caussa, in tres decurias diviserat. Nec poterant senatores decuriam explere, si recte Plinius illo tempore singula millia in singulis decuriis fuisse scribit. Sed ex quo gravissimae caussae publicae in ipso senatu cognosci coeptae sunt, sensim senatores in decuriis iudicum esse desisse opinor". Caligula quintam decuriam addidit. Plin. 33, 8. Suet. Calig. 16. Leges igitur, de quibus dixi, iudiciariae hae fuerunt:

- l. Sempronia Gracchi data a. 123; ex qua iudicabant equites soli.
- l. Servilia Caepionis data a. 106; ex qua iudicabant senatores.
- l. Servilia Glauciae d. a. 105; ex qua iud. equites.
- l. Livia Drusi d. a. 92.
- l. Plautia Silvani d. a. 89; ex qua iud. iudices tributim ex omnibus ordinibus creati.
- l. Cornelia Sullae d. a. 80; ex qua iud. senatores.
- l. Aurelia Cottae d. a. 70; ex qua iud. tres ordines.
- l. Pompeia d. a. 55; ex qua iud. qui ex tribus ordinibus summum censum habebant.
- l. Iulia Caesaris.
- l. Antonia.

[1]) Triumvirorum proscriptione ceciderunt senatores 300, equites 2000. App. B. C. 4, 5.

[2]) Tac. Ann. 12, 53.

[3]) ib. 13, 46.

[4]) Ib. 6, 29. Senec. de ben. 4, 31.

[5]) Tac. Ann. 3, 66.

[6]) id. ib. 4, 14.

que, mollitia corporis infames:[7]) Hortensiorum, tot Consulum, tot Dictatorum progenies, ad pudendam inopiam delapsa, tristisque tyranni misericordiam frustra fatigans:[8]) Aurelii Cottae, pecuniam annuam a principe accipientes:[9]) Furii, Fabii, Porcii, Valerii, ceteraeque veteres et illustres gentes, quarum tropaea atque templa conspiciebantur, canentes tibiis, saltantes, tragoedias agentes, equos agitantes, belluas occidentes, gladiatorio munere depugnantes.[10])

Verum quanquam proclivis ad deterius via est, quanquam nobilium pernicies vel ipsorum culpa vel crudelitate principum, vel temporum vitio maturabatur, tamen neque una cunctos bellum civile perdidit, neque cuncti simul, declinantes in peius, ad nihilum reciderunt. Post pugnam Actiacam illustrium gentium certe nomina plurimarum exstabant, et illa principibus formidabilia, multarum ne tum quidem aut animis aut opibus imminutis.[11]) „Nam etiamtum plebem, socios, regna colere et coli licitum: ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas illustrior habebatur“.[12]) Nondum libera vox in senatu conticuerat,[13]) nondum scribendi libertas edictis coercita,[14]) nondum restituendae reipublicae spes prorsus abiecta erat. Quinquies in Augustum facta est coniuratio,[15]) et fuit tempus, cum lorica sub veste munitus, ferroque cinctus senatui praesideret,[16]) primusque, ut petitam toties insidiis vitam[17]) tueretur, praegustatoris officium institueret:[18]) multosque fuisse, qui Caepionis ausa non improbarent, Dionis narratione non obscure significatur.[19]) Ac neque eos quidem omnes commemorem, qui sub Augusto veterum institutorum admiratores incorrupta

---

7) Id. ib. 15, 49. de Fabio Persico v. Senec. de ben. 4, 30.

8) Tac. Ann. 2, 38. Suet. Tib. 47. Alia exempla census senatoribus suppleti per Augustum habet Dio 53, 2. 54, 17. 55, 13. De Tiberio v. Dion. 56, 41. 57, 10. de paupertate multorum senatorum sub Claudio Dion. 60, 29. de Vespasiano Suet. Vesp. 17.

9) Tac. Ann. 13, 34.

10) Dio 61, 17, qui sic pergit: *καὶ ἐδακτυλοδείκτουν γε αὐτοὺς ἀλλήλοις καὶ ἐπέλεγον, Μακεδόνες μέν· οὗτός ἐστιν ὁ τοῦ Παύλου ἔκγονος.· Ἕλληνες δέ· οὗτος τοῦ Μομμίου· Σικελιῶται· ἴδετε τὸν Κλαύδιον· Ἠπειρῶται· ἴδετε τὸν Ἄππιον Ἀσιανοί, τὸν Λούκιον· Ἴβηρες τὸν Πούπλιον· Καρχηδόνιοι Ἀφρικανὸν, Ῥωμαῖοι δὲ πάντας.*

11) Tac. Ann. 3, 55. de Iuniis v. eund. ib. 3, 76. de Lentulis Suet. Tib. 49. Senec. de benef. 2, 27. de Lepidis Tac. Ann. 6, 27.

12) Tac. Ann. 3, 55. Luxus mensae, a fine Actiaci belli ad ea arma, quis Ser. Galba rerum adeptus est, per annos centum profusis sumptibus exerciti, paullatim exolevere. Caussas eius mutationis quaerere libet. Dites olim familiae nobilium aut claritudine insignes, studio magnificentiae prolabebantur. Nam etiamtum plebem, socios, regna colere, et coli licitum: ut quisque opibus, domo, paratu speciosus, per nomen et clientelas inlustrior habebatur: postquam caedibus saevitum, et magnitudo famae exitio erat, ceteri ad sapientiora convertere, simul novi homines e municipiis et coloniis atque etiam provinciis in senatum crebro adsumpti domesticam parcimoniam intulerunt.

13) Suet. Aug. 54, 55 Tac. Ann. 3, 75. Senec. de benef. 3, 27. Sub divo Augusto nondum hominibus verba sua periculosa erant, iam molesta. v. quae idem de Rufo, viro ordinis senatorii, narrat eodem loco. Cf. Senec. Controv. 2, 12, p. 195 ed. Amst.

14) Cf. Weichert poett. Lat. rell. p. 355. Atque hic unus locus est, quem inter multa temere proposita bene explicavit Eusèbe Salverte Horace et l'empereur Auguste. Paris 1823. De historicis huius temporis, Labieno, Asinio, Timagene, Cremutio Cordo, reliquis, deque famosis libellis alio loco dicam.

15) Suet. Oct. 19, 56. Tib. 8. Vell. 2, 91. Sen. de clem. 1, 9. de brev. vit. 5.

16) Suet Oct. 35. Dio 54, 12.

17) Plin. H. N. 7, 46 (45).

18) Haec Lipsii quidem sententia est ad Tac. Ann. 12, 67. cf. Suet. Claud. 44. Morcelli opp. epigr. Vol. I, p. 149. Quanquam hoc officium ne libera quidem republica ignotum fuisse docet „praegustator libidinum“ ap. Cic. pr. domo 10.

19) Dio 54, 3.

patrum libertate usi sunt,[20] ut Labeones[21] Pollionesque, — nam et multi fuerunt, et ipsi libera republica vixerant — neque nobiles eos, qui tum, ut e fastis perspicitur, in magistratibus summis erant, Antonios, Aemilios, Antistios, Claudios, Domitios, utrosque paullo post futuros principes civitatis, Cornelios Lentulos, Scipiones, Dolabellas, Calpurnios, Fabios Maximos, Furios, Iunios, Norbanos, Pompeios, Plautios, Servilios, Scribonios, Terentios: verum post Augustum etiam non una erat Claudiorum familia,[22] quae veterem et insitam superbiam conservaret. Supererant tum quoque Scipionum, Silanorum, Cassiorum magna nomina:[23] Silani, claritudine generis praecellentes[24] propterque nobilitatem, et veterem, in qua educati erant, disciplinam timor imperatorum,[25] Cassii opibus vetustis et gravitate morum insignes,[26] iique nati in ea familia, quae non modo dominatum, sed ne potentiam quidem cuiusquam ferre posset,[27] idemque principatus odium usque ad Avidium illum Cassium, qui sub Antoninis vixit, conservaret.[28] Supererat Pisonum domus nobilis, obsequii ignara, ferox moribus, ita et opibus et genere elata, ut principis ipsius liberos ut multum infra se despectaret:[29] quae domus quum a Numae regis sanguine originem trahere diceretur,[30] quum M. Crassi, Cn. Pompeii[31] et celeberrimi cuiusque veteris reipublicae imagines contineret, ne Augusto[32] quidem et Galbae[33] successione principatus indigna visa est; sub imperatoribus in summo honore erat, pollebatque usque ad eum Pisonem, qui inter triginta tyrannos numeratur, virum, „cui similem tunc respublica Romana

---

20) Suet. Oct. 54, 55.

21) Cf. Tac. Ann. 3, 75. Suet. Oct. 54 coll. App. B. C. 4, 135. Pomponius Dig. 1, 2, 47: „Labeo noluit, cum offerretur ei ab Augusto consulatus, quo suffectus fieret, honorem suscipere". Ateius Capito, Labeonis aemulus, ap. Gell. 13, 12. „Agitabat hominem libertas quaedam nimia et vecors usque eo, ut Divo Augusto iam principe et rempublicam obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod iussum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset. cf. Porphyr. ad Hor. Serm. 1, 3. 82.

22) Tac. Ann. 1, 4.

23) id. ib. 6, 2.

24) id. ib. 16, 7.

25) id. ib. 15, 22.

26) id. ib. 16, 7.

27) Ciceronis verba sunt de C. Cassio. Phil. 2, 11.

28) Gallican. v. Avid. Cass. 1. Hic ergo Cassius, ex familia Cassiorum, qui in C. Iulium conspirarunt, oderat tacite principatum, nec ferre poterat imperatorum nomen, dicebatque, nihil esse gravius nomine imperii, quod non posset e republica tolli nisi per alterum imperatorem.

29) Tac. Ann. 2, 43. Cn. Pisonem, ingenio violentum et obsequii ignarum, insita ferocia a patre Pisone, qui civili bello resurgentes in Africa partes acerrimo ministerio adversus Caesarem iuvit: mox Brutum et Cassium secutus, concesso reditu, petitione honorum abstinuit, donec ultro ambiretur, delatum ab Augusto consulatum accipere. Sed praeter paternos spiritus uxoris quoque Plancinae nobilitate et opibus accendebatur: vix Tiberio concedere: liberos eius, ut multum infra despectare. De Calpurnio Pisone, qui a Caligula relegatus, a Claudio restitutus est, Schol. Iuv. 5, 109. p. 173 Cr. „post consulatum materna hereditate ditatus, magnificentissimus vixit, meritos sublevare inopes ex utroque ordine solitus: de plebe autem certos quotannis ad equestrem censum dignitatemque provehere. cf. de hoc Cramer ad h. l. Wernsd. poett. min. IV, 1, p. 36 sqq.

30) Hor. A. P. 292. Vos o Pompilius sanguis. ibique Schol. Cruq. „Pisones, ab ipso enim Numa Pompilio originem trahebant. Calpus enim filius Numae, a quo Calpurnii Pisones". Incerti auctoris (Saleii Bassi) carm. ad Pison. ap. Wernsd. l. l. init.

hinc tua Piso
Nobilitas, veterisque citant sublimia Calpi
Nomina, Romanas inter fulgentia gentes.
v. 14. nam quid memorare necesse est,
Ut domus a Calpo nomen Calpurnia ducat.

cf. Plut. v. Num. 21. Pauli Diac. exc. p. 36 Lind.

31) Tac. H. 1, 15.

32) Tac. Ann. 1, 13.

33) Tac. H. 1, 15.

non haberet".[34]) Superant denique Sempronii Gracchi usque ad Gordianos duraturi:[35]) Fabii, reipublicae ipsi futuri superstites:[36]) Lepidi:[37]) Rubellii Plauti e familia Iuliorum,[38]) magnis opibus, ne fingentes quidem cupidinem otii, sed veterum Romanorum imitamenta prae se ferentes:[39]) Antistii, seditionem et arma non contremiscentes:[40]) Mamerci Scauri, si non vita, tamen morte veteribus digni Aemiliis:[41]) Dolabellae, nomine ipso timendi:[42]) Torquati, Cincinnati, Pompeii,[43]) Valerii: denique cum his senserunt tot tantique veterum morum homines, quorum vel dicta vel facta vel in morte constantiam praeconia Taciti immortalitati commendaverunt.

2. Quod si quis recte iudicare vult de ea cautione, qua in subiicienda regendaque civitate Augustus usus est, qua nomen quodque odiosum aspernatus usque ad vitae exitum haesitare inter dominationem restituendamque libertatem visus, et subruere firmamenta reipublicae et aliquam tamen libertatis speciem veterisque splendorem famae tueri studebat, eum non praetervidere hoc necesse est, quod negligi a quibusdam animadverto, aliud esse in civitate per vim et contra leges maiorum dominari, aliud firmato fungi diuturna auctoritate legum imperio. Est enim aliquid ius atque fas, quamvis regnante violentia; est aliqua vis in hominum animis, etiam quum exsequi, quae cogitantur, non licet, eratque aliquod momentum etiamtum in auctoritate senatus, quum nihil esset senatoribus ipsis contemtius, nihil militibus armisque potentius, nihil iustum praeter voluntatem dominorum ferocientiumque atque luxuriantium militum.[44])

---

34) Trebell. Poll. de Pisone p. 777 ed. Schrevel. Gibbon. c. 10, Vol. 2, p. 189 vers. Germ.

35) Iulii Capitol. Gord. tres. 2. Horum Gordianus senior — originem paternam ex Gracchorum genere habuit.

36) Heraclii imperatoris a. 610 sponsa erat Fabia, cuius in Eudociam mutatum nomen est. Cedren. p. 321 D. ed. Venet. Nescio unde Rehmius Gesch. d. Mittelalt. 3, 2, p. 290 affirmet, Nicephorum Botoniaten e Fabiorum gente fuisse. Nam in auctoribus huius temporis huiusmodi nihil inveni.

37) De his Tac. Ann. 4, 20. cf. 6, 27. „Neque nobilitas diutius demonstranda est, quippe Aemilium genus fecundum bonorum civium, et qui eadem familia, corruptis moribus, illustri tamen fortuna egere.

38) Tac. Ann. 14, 22.

39) Id. ib. 14, 57.

40) id. ib. 14, 59.

41) id. ib. 6, 29. in hoc Scaurorum familia exstincta est a. 33 p. Chr. Senec. Suasor. 2 extr.

42) Tac. H. 1, 88.

43) Suet. Calig. 35.

44) De iure senatus sub imperatoribus v. praeter Curtium Heinecc. ad leg. Iul. et Pap. Popp. p. 106 sq. Aug. M. Iust. Molitor historia senatus Romani in Annalib. Acad. Lovaniensis a. 1826 p. 187—193. Ego duo tantum iura senatus afferam; alterum, quod summum olim et dandi imperii (cf. ex c. Cic. Phil. 14, 5, 9) et abrogandi (v. exemplum Cinnae et praetoris Lentuli App. B. C. 1, 65. 2, 4. Vell. 2, 20. cf. Liv. 42, 9. 10. 21. 22. 43, 1. 14. 15) et administrandae reipublicae habuit, quod ne ille quidem extremae aetatis senatus, iam non ille decus reipublicae, sed ex abiectissimis peregrinisque principumque assentatoribus humilissimis conflatus vindicare sibi unquam desiit; alterum privilegium illud, ne necandi senatores indicta caussa licentia apud principem esset, sed eae caussae patrum arbitrio permitterentur. Cuius quae origo fuerit in egregia de iurisdictione senatus criminali dissertatione ignorare se fatetur Dirksenius (Civil. Abh. 1 p. 157 sq.). Ac Dio quidem necandi et senatores et equites ius ad proconsulare imperium, potestatemque imperatoriam refert (53, 17). *καὶ ἐκ μὲν τούτων ὀνομάτων καταλόγους τε ποιεῖσθαι, καὶ χρήματα ἀθροίζειν — — τοῦ τε ξενικοῦ καὶ τοῦ πολιτικοῦ ἀεὶ καὶ πανταχοῦ ὁμοίως ἄρχειν, ὥστε καὶ ἐντὸς τοῦ πωμηρίου καὶ τοὺς βουλευτὰς θανατοῦν δύνασθαι — λαμβάνουσιν.*) quum senatus, quanquam omnem hanc potestatem principi detulerat, tamem nunquam oblivisceretur principem senatus nihil

Haec praemonenda existimavi, ut appareret, qui factum esset, ut Augustus, quum „muneribus, monumentis, congiariis, epulis imperitam multitudinem leniis-

---

alind esse, quam primum inter pares. Dio 52, 7 In or. Agrippae: ἂν δ' αὐτὸς δικάζῃς, πολλοὺς ἀναγκασθήσῃ καὶ τῶν ὁμοτίμων κολάζειν. ib. Maecenas 52, 15. ἵνα καὶ νόμος εὐθὺς ᾖ πᾶν ὅ,τι ἂν βουλευσαμένῳ σοι μετὰ τῶν ὁμοτίμων ἀρέσῃ. cf. 52, 21. id. 53, 1. ἐν δ' οὖν τῷ τότε παρόντι τά τε ἄλλα ὥσπερ εἴθιστο ἔπραξε, καὶ τὰς ἀπογραφὰς ἐξετέλεσε· καὶ ἐν αὐταῖς πρόκριτος τῆς γερουσίας ἐπεκλήθη, ὥσπερ ἐν τῇ ἀκριβεῖ δημοκρατίᾳ ἐνενόμιστο· Itaque Vitellius, cum ei in senatu Helvidius Priscus contradixisset, conversa ad patres oratione, Μὴ ταράττεσθε, inquit, πατέρες μηδ' ἀγανακτεῖτε, εἰ δύο ἄνδρες ἐξ ὑμῶν διηνέχθημέν τι πρὸς ἀλλήλους. Dio 65, 7. Idem alio loco (67, 2) de Domitiano: αὐτὸς δὲ οὐκ ἐφρόντιζεν οὐδὲ τῶν τὸν Τίτον ἐπαινούντων, ὅτι μηδένα βουλευτὴν ἀπέκτεινεν, οὐδ' ὅτι ἡ γερουσία πολλάκις ἠξίου ψηφισθῆναι, μὴ ἐξεῖναι τῷ αὐτοκράτορι τῶν ὁμοτίμων τινὰ ἀπολέσαι. Alexander Severus in senatu: Venerandi patres, inquit, unum me de vobis potius censete, quam Magni nomen ingerite. Lampr. Al. Sev. 11. Etiam Themistius in imp. Constantium or. IV p. 53 B. Hard., quae habita est in senatu: καὶ μόνου ἄρα τοῦ χοροῦ τοῦ ὑμετέρου αὐτὸς ὁ χορηγὸς πρωτοστάτης ἐστὶ καὶ κορυφαῖος, καὶ ἵδρυται θρόνος ἱερὸς ἐν τῷ πατρῴῳ βουλευτηρίῳ, ἐν ᾧ συγκαθίζειν οὐκ ἀναίνεται καὶ προηγορεῖν τοῦ συλλόγου· τῷ τοι καὶ τὰ πάροντα μυστήρια οἱ μὲν ἄλλοι ἄνθρωποι ὡς βασιλεῖ μόνον τελοῦσιν, ὑμᾶς δὲ ἐκεῖνος ἐθέλει καὶ ὡς ὁμοτίμῳ. Et ita Iulianus imp. rescribit l. 8 C. de dign. „Ius senatorum, et auctoritatem eius ordinis, in quo nos quoque ipsos numeramus, necesse est ab omni iniuria defendere". Illud igitur indignum visum est senatoribus, eum, cui ipsi pares dignitate essent, quique ab ipsis omne imperium honoremque accepisset, in se habere vitae necisque potestatem.

Sed ut redeam ad id, a quo profectus sum, utriusque iuris, de quo dixi, frequentia sunt in historia imperatorum vestigia. Non numerantur inter imperatores Romanos Pescennius Niger, Clodius Albinus, reliqui, quos senatus non confirmavit. Iam Tiberius autem tanquam coactus a senatu imperium suscepit (Tac. Ann. I, 13. Suet. Tib. 24) qui ut de minimis quibusque rebus initio ad senatum retulerit, observaritque senatores, e Tacito notum est. (cf. Molitor l. l. p. 202—206) Caligula a senatu confirmatus, promisit in curia se imperium cum senatu communicaturum (Suet. Cal. 14). Quo mortuo consules cum senatu forum Capitoliumque occuparunt, asserturi communem libertatem, quamvis segniore iam senatu, quam ut exsequeretur, quae decreverat (Suet. Claud. 10. Dio 60, 1). Neroni SCto imperium delatum est, promisitque se antiqua munia senatui relicturum. Tac. Ann. 12, 69. 13, 4. Iul. Capitol. v. Clod. Albini 13. Et usque ad Neronem senatus auctoritas valuit, qui sordidum et impurum principem damnare non timuit, quum sententiae in eum dictae sunt, qui vitae necisque potestatem atque imperium tunc tenebat. cf. Thraseae exemplum ap. Tac. Ann. 14, 49. Et Nerone mortuo patres laeti, usurpata statim libertate licentius statim ut erga principem novum et absentem egere; (Tac. Hist. 4) ad quod tempus respiciens biennio post Curtius Montanus ap. Tac. H. 4, 52 „Elanguimus, inquit, patres conscripti, nec iam ille senatus sumus, qui, occiso Nerone, delatores et ministros more maiorum puniendos flagitabat". Et a. 70 senatus populique Romani obliterata iam nomina sacramento advocabant (Tac. H. 1, 55, 56) eratque etiamtum grande momentum in nomine urbis et praetextu senatus (Tac. H. 1, 76. 84. 90. 2, 32. 37).

Vespasianus senatum coluit (Dio 66, 10). Titus nunquam senatorum quenquam interemit (Dio 66, 19), quo vehementer laudato a Domitiano legem petit senatus, ne principi liceat, senatorem occidere (Dio 67, 2). Quod quum frustra fecisset, quem vivum timuerat, eum mortuum contumeliose tractavit; eiusque corpus ad Gemonias proiici, imagines detrahi, abolendamque omnem memoriam SCto decrevit (Sueton. Domit. 23). Nerva primus iuravit, se suo iussu senatorem interfecturum nunquam esse, promissoque, quamvis a quibusdam petitus, stetit: (Dio 63, 2) idemque senatui Traianum scripsisse dicunt, ὡς οὐδένα ἄνδρα ἀγαθὸν ἀποσφάξοι ἢ ἀτιμάσοι· adduntque hunc ad senatum orationem mittere voluisse, petiturum ut, si quid sibi accidisset, principem Romanae reipublicae senatus daret, additis duntaxat nominibus, ex quibus optimum idem senatus eligeret (Dio 68, 5. Spart. Hadr. 4). Hadrianus a senatu veniam petiit, quod de imperio suo iudicium senatui non dedisset, et iureiurando eodem, quo illi, se obstrinxit (Dio 69, 2. Spart. Hadr. 6): de cuius divinis honoribus post mortem eius recusaturus erat senatus διά τινας φόνους ἐπιφανῶν ἀνδρῶν (Dio 70, 1). Antoninus Pius, ut ait Capitolinus in eius vita c. 6, senatui tantum detulit, quantum, quum privatus esset, deferri sibi ab alio principe optavit, semperque a caede senatorum abhorrebat. M. Antoninum philosophum idem Capitolinus ait a senatu coactum regimen publicum cepisse, eundemque neque senatorem unquam necasse, et post defectionem Cassianam senatum oravisse atque obsecravisse, ne quis a senatu senatorum puniretur neve cuiusquam funderetur viri nobilis sanguis. v. Capit. v. M. Ant. c. 7. 25. 26. Vulcat. Gallican. v. Avid. Cass. 12. Commodum, qui crudeliter in senatores grassatus erat (Lamprid. v. Comm. 4. 5. Herod. 1, 8, 7. 8), et vivum illi interficere conati sunt (Dio 72, 4), et mortuum summa contumelia affecerunt (Dio 73, 1. Lampr. v. Comm. 18. 19). Pertinax autem statim postquam imperator factus est, curiam adiit, (Dio 73, 1) coluit senatum (Capit. Pert. 13), neminem unquam senatorum interfecit (Dio 73, 5. 8. Capitol. Pert. 6. 9). Didio Iuliano per senatum imperium abrogatum, delatumque est Severo (Dio 73, 12. Spart. Did. Iul. 8), qui, quamvis inimicus senatui, tamen SCtum fieri iussit, ne inconsulto senatu imperatori senatorem capite plectere liceret, si secus faceret, hostis reipublicae haberetur (Spart. Sever. 7. Dio 74, 2). Quanquam postea huius legis immemor fuit. Etiam Caracalla

set,[45]) plebemque, ut Caesar, molliter haberet,[46]) erga senatores equitesque prorsus alia atque ille ratione uteretur. Caesar enim, quum iam ante eum diu intermissa senatus lectione multi et libertini et indigni homines in curiam irrepsissent,[47]) tertium dictator factus a. 47, multis senatoribus aut mortuis bello aut rure aut in castris adversariorum viventibus, equitibus, tribunis, centurionibus, praefectis[48]) atque adeo peregrinis[49]) in senatum allectis effecit, ut numerus senatorum ad nongentos augeretur,[50]) quo factum est, ut ipse quidem et multis navatae sibi per tot annos operae praemia merita persolveret, et in posterum quoque, per quos regnaret in senatu, haberet, senatus autem et veteribus senatoribus et plebi militibusque derisui esset.[51]) Ac postquam et nobilium vires fregit, et equites initio sibi conciliatos coercuit, utriusque ordinis dignitatem atque honorem ita minuit, ut senatoribus ne assurrexerit quidem.[52])

---

senatum coegit imperium sibi confirmare (Spart. Carac. 2), quo mortuo Macrinus scribit ad senatum: Detulerunt ad me imperium, cuius ego, P. C. interim tutelam recepi: tenebo regimen, si et vobis placuerit, quod militibus placuit (Capitol. v. Macr. c. 6). Atque Heliogabalus quidem senatus auctoritati supersedit, non Alexander Severus, cui a senatu imperium datum est (Lampr. Al. Sev. I. 2). Cuius post mortem cum a militibus Maximus Thrax imperator factus esset, senatus Gordianos Augustos appellavit, Maximinum et eius filium hostes iudicavit, eius amicos, administratores, duces interfecit, literasque ad omnes civitates Italiae provinciasque misit, quibus Maximinus dicitur tristissima bellua salusque omnis a Gordianis expectatur (Capit. Max. duo 15. v. Maximi et Balbini c. 10). Lectae sunt Gordiani literae huius argumenti: Invitum me, P. C. iuvenes, quibus Africa tuenda commissa est, ad imperium vocarunt — Sed intuitu vestri necessitatem libens sustineo. Vestrum est, aestimare, quid velitis. Nam ego usque ad senatus iudicium incertus et varius fluctuabo" (Cap. Max. d. 16). Mortuis Gordianis, senatus Maximum et Balbinum imperatores creavit: provinciales, senatui obtemperantes, sublatis omnibus, quae victum praebere possent, intra civitates se recipiebant; Aquileia Maximino portas clausit, tamque diu fortiter se defendit, dum seditione orta a suis militibus Maximinus occideretur (id. ib. 20. 21. 23. 26. Cap. Gord. tres 10). Sub Maximo et Balbino nonnihil tributum iri videbatur senatui (Cap. Max. et Balb. 13) et postea quoque erant, qui de antiqua auctoritate senatui restituenda somniarent. Nam quum occiso Aureliano milites a senatu postulassent, ut principem eligeret, post sex menses senatus Tacitum imperatorem creavit. v. Vopiscus Aurel. 40. Tac. 2. Quo loco „Quae illa, inquit, concordia militum, quanta populi quies, quam gravis senatus auctoritas fuit! Nullus unquam tyrannus emersit; sub iudicio senatus et militum populique Romani totus orbis est temperatus". idemque c. 12 „Nec tacendum est, tantam senatus laetitiam fuisse, quod eligendi principis cura ad ordinem amplissimum revertisset, ut et supplicationes decernerentur — et mitterentur literae ad provincias, ut scirent omnes socii omnesque nationes, in antiquum statum rediisse rempublicam". Sed haec laetitia brevis fuit. Nam quanquam Probus, a militibus imperator electus, literis senatum rogavit, ut nomen sibi Augustum deferret, quas literas servavit Vopiscus v. Probi 12. 13., tamen post eius mortem militaris potentia ita convaluit, ut senatui imperium creandique ius principis plane eriperetur. v. Aurel. Vict. 37. Quanquam postea quoque iuris veteris memoria duravit, veluti Diocletianum quoque a senatu creatum tradunt (v. quos I. Walter R. R. p. 360 n. 7) et sub Theodorico etiam erant, qui de restituenda senatus libertate cogitarent.

45) Verba Ciceronis sunt de Caesare Phil. 2, 45.

46) Tac. Ann. I, 54. cf. I, 76.

47) Dio 40, 48. 63.

48) Dio 42, 51. Caes. B. Afr. 28. Macrob. Sat. 2, 3. Dio 43, 27. 43, 47. Drum. 3 p. 568. 620.

49) Suet. Caes. 76. 80.

50) Dio 43, 47.

51) Cic. ep. ad fam. 6, 18, 1 scripta a. 45. „Neque enim erat ferendum, quum, qui hodie haruspicinam facerent, in senatum Romae legerentur, eos, qui aliquando praeconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere". Dio 43, 20. Suet. Caes. 76. 80. „Peregrinis in senatum allectis libellus propositus est: Bonum factum, ne quis senatori novo curiam monstrare velit. Et illa vulgo canebantur

Gallos Caesar in triumphum ducit, idem in curiam,
Galli braccas deposuerunt latum clavum sumpserunt.

A. 42 Africae praefuit C. Fuficius Phango, ex milite mercenario senator factus, quod multis eius similibus obtigit. Dio 48, 22. Etiam post mortem Caesaris per gratiam et praemium indignissimi quidam allecti in senatum sunt, quos Orcinos vulgus vocabat. Suet. Oct. 35. Χαρωνίτας appellat Plut. v. Ant. 15.

52) Suet. Caes. 78. Dio 44 8. Plut. Caes. 60. App. 107.

Quumque infame esset genus hominum ad depugnandum vel inter gladiatores vel cum bestiis auctoratorum [53]) — erant enim hi aut servi aut captivi — quumque qui lanistaturam [54]) artemve ludicram exerceret, [55]) eodem loco esset, quo qui quaestum corpore lenociniumve faceret, quive atrocissimum quodque scelus patravisset, [56]) Caesar primum equites Romanos senatorumque filios, paullo post senatores pecunia saepiusque etiam vi perpulit, ut aut ludo arenaque polluerentur, aut lanistarum instar gladiatorum exercitia regerent. [57]) Munere in foro depugnaverunt T. Munatius Plancus Bursa, tr. pl. a. 52, Furius Leptinus, stirpe praetoria, Q. Calpenus, senator quondam, ludisque Decimus Laberius eques Romanus cum summa equitum indignatione mimum suum egit. [58]) Sed tristis Caesaris exitus docuit, nobilitatem, ut impotentem iam reipublicae gubernandae, ita etiamtum domini esse impatientem, eamque aut prorsus delendam, aut aliqua ratione et deleniendam et coercendam esse, usque dum novae et adhuc infirmae dominationi adsuevisset. Atque illam rationem ii secuti sunt, qui post Augustum principatum obtinuerunt, hanc Augustus ipse, cui si illi obtemperassent, melius fortasse et principum auctoritati et reipublicae saluti consultum fuisset. Neque enim illum fugit, quod postea accidit, exstinctis nobilibus ad sordidam plebem libertinorumque impudentiam et opes et potentiam perventuram, quum non exiguum continendarum in obsequio provinciarum momentum in sustinenda ea fama atque gloria esset, quae accepta a maioribus, si minus virtute paterna, attamen divitiis atque nominum ipsorum celebritate adhuc conservata erat. [59]) Provinciales enim, qui soli etiamtum frugaliter strenueque vivebant, ab honoribus lege tum temporis arcebantur, magnaeque provincialium in senatum lectionem invidiae fuisse Caesari commemoratum est: e Romanis ipsis erant quaerendi, qui et splendorem aulae et magistratibus auctoritatem afferrent; ex iisdem supplenda et iudicia et senatus, qui nisi omnino tollendus e republica videbatur, certe ludibrio civibus esse non debuit. Nam eodem tempore, quo principum metu nobilissimi quique a magistratibus summis exclusi sunt, ii, qui illis timendi non videbantur, etiam civibus peregrinisque contemtui esse coeperunt.

Augustus igitur, quum fractis nobilitatis viribus neque exstirpandam nobilitatem neque ita conservandam putaret, ut ipsi esset timenda, diversam viam ingressus est, ut primum sibi obstringeret universam eam, quae supererat, nobilitatem et opibus et honoribus et securo otio: deinde conciliato auctoque altero ordine, qui libera republica optimatibus saepe restitisset, in iudiciis populique concionibus anctoritatem il-

---

53) De re nota v. inpr. Dirksen. ad Tab. Her. p. 93—89.

54) Tab. Her. aer. Neap. l. 49 Dirksen.

55) v. inpr. Heineccium ad leg. Iul. et Pap. Popp. p. 121 sqq. Dirksen l. l.

56) v. Tab. Heracl. aer. Neap. c. VIII l. 49. Dirksen p. 74. 148.

57) Dio 43, 23. cf. Drum. 3, p. 619.

58) Suet. Caes. 39. Macrob. Sat. 2, 7. Drum. 3, p. 658.

59) Ne civitatem quidem dari multis Augustus voluit, ἵνα πολὺ τὸ διάφορον αὐτοῖς πρὸς τοὺς ὑπηκόους ᾖ. Dio 56, 33.

lorum paene aequasset, polleret opibus, negotiisque et urbis et provinciarum partem magnam haberet obnoxiam,[60] nobilitatis potentiam et superbiam coerceret: futurum esse prospiciens, ut, senatorio ordine ex his, qui sibi dediti essent, suppleto, veteribus familiis paullatim morte exstinctis, etiam nobilitatem et fidam et devinctam sibi principatus haberet.

2. Itaque senatorum quidem affluentem numerum deformi et incondita turba[61] ad modum pristinum et splendorem redegit:[62] iteratis lectionibus purgavit:[63] censum eorum duplo auxit[64] multisque supplevit:[65] iuri senatus nihil omnino diserte derogavit:[66] eo ipso et potestatem rerum omnium sibi retinens, et senatui speciem veteris dignitatis conservans, quod, quid ad suum arbitrium, quid ad illius pertineret, infinitum semper et incertum relinqueret.[67] Sed postquam, „ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paullatim“ et ad suam voluntatem gubernare rempublicam, veterumque institutorum formam commutare prorsus coepit: quemadmodum summam imperii iam iisdem, quibus antea praetorum, consulum reliquorumque magistratuum contineri nominibus noluit, sed eandem aut modestis quibusdam aut incertae significationis titulis, quales sunt principis, tribuni, praefecti morum, Augusti, imperatoris,[68] involvit,[69] sic etiam summum rei familiaris splendorem summamque dignitatem in iis tantum gentibus esse noluit, quae in libera republica primores civitatis fuissent: verum et veteres quasdam sed sine honoribus familias tum primum evexit, et equestris ordinis principes honoribus iis ornavit, qui aut senatorium fastum paene excederent, aut sub nomine exiguo potentiam magnam haberent. In augendo autem equestri ordine quadruplici ratione usus est. Totum enim ordinem recensuit: intermissam diu equitum equo publico recognitionem renovavit: equitibus quibusdam dignitatem senatoriam tribuit, qui novo abhinc nomine illustres dicebantur; denique summa quaedam officia magistratusque constituit, quibus soli equites fungerentur: nonnullos, qui magistratum nullum haberent, et amicitia sua dignos habuit, et consiliorum suorum participes fecit. De quibus omnibus explicatius dicendum est.

---

60) Ioseph. Antt. 19, 1, 1. *Μυρία τε εὑρίσκετο* (Caligula) *καὶ κατὰ τῶν ἱππέων μὲν καλουμένων, ἀξιώματι δὲ καὶ δυνάμει χρημάτων ὅμοια τοῖς συγκλητικοῖς ὑπὸ τῆς πόλεως ἀγομένων.*

61) v. not. 51.

62) Dio 52, 19. Suet. Oct. 35.

63) V. c. 3 not. 20.

64) Dio 54, 17. Suet. Oct. 41, ubi v. de discrepantibus utriusque numeris Casaubonum.

65) Dio 52, 19. 53, 2. 54, 17. 55, 13.

66) Principio magnae observantiae specie devinxit sibi senatum: (Dio 53, 32) semper simulavit senatui se imperium restituturum: (id. 53, 2. Suet. Oct. 28) ipse principem senatus creari se voluit: (Dio 53, 1) provincias cum eo partitus est: senatus legatis et oratoribus Principum responsa dabat: iudicia exercebat (Dio 53, 21. 33.)

67) Dirksen Ueber die Criminaliurisdiction des röm. Senats. Civ. Abh. 1, p. 96 sqq.

68) De duplice significatione huius tituli v. Eckhel. D. N. Vol. VIII, p. 343—354. cf. Vol. VI, p. 9. 140 sqq.

69) V. Loebell Ueber d. Principat des Augustus in Raumers hist. Taschenbuch 1834 p. 213 sqq. inpr. p. 258 sqq.

Quumque infame esset genus hominum ad depugnandum vel inter gladiatores vel cum bestiis auctoratorum [53]) — erant enim hi aut servi aut captivi — quumque qui lanistaturam [54]) artemve ludicram exerceret, [55]) eodem loco esset, quo qui quaestum corpore lenociniumve faceret, quive atrocissimum quodque scelus patravisset, [56]) Caesar primum equites Romanos senatorumque filios, paullo post senatores pecunia saepiusque etiam vi perpulit, ut aut ludo arenaque polluerentur, aut lanistarum instar gladiatorum exercitia regerent. [57]) Munere in foro depugnaverunt T. Munatius Plancus Bursa, tr. pl. a. 52, Furius Leptinus, stirpe praetoria, Q. Calpenus, senator quondam, ludisque Decimus Laberius eques Romanus cum summa equitum indignatione mimum suum egit. [58]) Sed tristis Caesaris exitus docuit, nobilitatem, ut impotentem iam reipublicae gubernandae, ita etiamtum domini esse impatientem, eamque aut prorsus delendam, aut aliqua ratione et deleniendam et coercendam esse, usque dum novae et adhuc infirmae dominationi adsuevisset. Atque illam rationem ii secuti sunt, qui post Augustum principatum obtinuerunt, hanc Augustus ipse, cui si illi obtemperassent, melius fortasse et principum auctoritati et reipublicae saluti consultum fuisset. Neque enim illum fugit, quod postea accidit, exstinctis nobilibus ad sordidam plebem libertinorumque impudentiam et opes et potentiam perventuram, quum non exiguum continendarum in obsequio provinciarum momentum in sustinenda ea fama atque gloria esset, quae accepta a maioribus, si minus virtute paterna, attamen divitiis atque nominum ipsorum celebritate adhuc conservata erat. [59]) Provinciales enim, qui soli etiamtum frugaliter strenueque vivebant, ab honoribus lege tum temporis arcebantur, magnaeque provincialium in senatum lectionem invidiae fuisse Caesari commemoratum est: e Romanis ipsis erant quaerendi, qui et splendorem aulae et magistratibus auctoritatem afferrent; ex iisdem supplenda et iudicia et senatus, qui nisi omnino tollendus e republica videbatur, certe ludibrio civibus esse non debuit. Nam eodem tempore, quo principum metu nobilissimi quique a magistratibus summis exclusi sunt, ii, qui illis timendi non videbantur, etiam civibus peregrinisque contemtui esse coeperunt.

Augustus igitur, quum fractis nobilitatis viribus neque exstirpandam nobilitatem neque ita conservandam putaret, ut ipsi esset timenda, diversam viam ingressus est, ut primum sibi obstringeret universam eam, quae supererat, nobilitatem et opibus et honoribus et securo otio: deinde conciliato auctoque altero ordine, qui libera republica optimatibus saepe restitisset, in iudiciis populique concionibus anctoritatem il-

---

53) De re nota v. inpr. Dirksen. ad Tab. Her. p. 93—89.
54) Tab. Her. aer. Neap. l. 49 Dirksen.
55) v. inpr. Heineccium ad leg. Iul. et Pap. Popp. p. 121 sqq. Dirksen l. l.
56) v. Tab. Heracl. aer. Neap. c. VIII l. 49. Dirksen p. 74. 148.
57) Dio 43, 23. cf. Drum. 3, p. 619.
58) Suet. Caes. 39. Macrob. Sat. 2, 7. Drum. 3, p. 658.
59) Ne civitatem quidem dari multis Augustus voluit, ἵνα πολὺ τὸ διάφορον αὐτοῖς πρὸς τοὺς ὑπηκόους ᾖ. Dio 56, 33.

lorum paene aequasset, polleret opibus, negotiisque et urbis et provinciarum partem magnam haberet obnoxiam,[60] nobilitatis potentiam et superbiam coerceret: futurum esse prospiciens, ut, senatorio ordine ex his, qui sibi dediti essent, suppleto, veteribus familiis paullatim morte exstinctis, etiam nobilitatem et fidam et devinctam sibi principatus haberet.

2. Itaque senatorum quidem affluentem numerum deformi et incondita turba[61] ad modum pristinum et splendorem redegit:[62] iteratis lectionibus purgavit:[63] censum eorum duplo auxit[64] multisque supplevit:[65] iuri senatus nihil omnino diserte derogavit:[66] eo ipso et potestatem rerum omnium sibi retinens, et senatui speciem veteris dignitatis conservans, quod, quid ad suum arbitrium, quid ad illius pertineret, infinitum semper et incertum relinqueret.[67] Sed postquam, „ubi militem donis, populum annona, cunctos dulcedine otii pellexit, insurgere paullatim“ et ad suam voluntatem gubernare rempublicam, veterumque institutorum formam commutare prorsus coepit: quemadmodum summam imperii iam iisdem, quibus antea praetorum, consulum reliquorumque magistratuum contineri nominibus noluit, sed eandem aut modestis quibusdam aut incertae significationis titulis, quales sunt principis, tribuni, praefecti morum, Augusti, imperatoris,[68] involvit,[69] sic etiam summum rei familiaris splendorem summamque dignitatem in iis tantum gentibus esse noluit, quae in libera republica primores civitatis fuissent: verum et veteres quasdam sed sine honoribus familias tum primum evexit, et equestris ordinis principes honoribus iis ornavit, qui aut senatorium fastum paene excederent, aut sub nomine exiguo potentiam magnam haberent. In augendo autem equestri ordine quadruplici ratione usus est. Totum enim ordinem recensuit: intermissam diu equitum equo publico recognitionem renovavit: equitibus quibusdam dignitatem senatoriam tribuit, qui novo abhinc nomine illustres dicebantur; denique summa quaedam officia magistratusque constituit, quibus soli equites fungerentur: nonnullos, qui magistratum nullum haberent, et amicitia sua dignos habuit, et consiliorum suorum participes fecit. De quibus omnibus explicatius dicendum est.

---

60) Ioseph. Antt. 19, 1, 1. *Μυρία τε εὑρίσκετο* (Caligula) *καὶ κατὰ τῶν ἱππέων μὲν καλουμένων, ἀξιώματι δὲ καὶ δυνάμει χρημάτων ὅμοια τοῖς συγκλητικοῖς ὑπὸ τῆς πόλεως ἀγομένων.*

61) v. not. 51.

62) Dio 52, 19. Suet. Oct. 35.

63) V. c. 3 not. 20.

64) Dio 54, 17. Suet. Oct. 41, ubi v. de discrepantibus utriusque numeris Casaubonum.

65) Dio 52, 19. 53, 2. 54, 17. 55, 13.

66) Principio magnae observantiae specie devinxit sibi senatum: (Dio 53, 32) semper simulavit senatui se imperium restituturum: (id. 53, 2. Suet. Oct. 28) ipse principem senatus creari se voluit: (Dio 53, 1) provincias cum eo partitus est: senatus legatis et oratoribus Principum responsa dabat: iudicia exercebat (Dio 53, 21. 33.)

67) Dirksen Ueber die Criminaliurisdiction des röm. Senats. Civ. Abh. 1, p. 96 sqq.

68) De duplice significatione huius tituli v. Eckhel. D. N. Vol. VIII, p. 343—354. cf. Vol. VI, p. 9. 140 sqq.

69) V. Loebell Ueber d. Principat des Augustus in Raumers hist. Taschenbuch 1834 p. 213 sqq. inpr. p. 258 sqq.

Cap. II.

Equites censu.

1. Duplex fuisse genus equitum, eorum, qui censum tantum haberent [1]) et eorum, quibus equus praeterea attributus esset, supra demonstravimus. Ac census quidem qui Gracchanis legibus constitutus fuerit, ignoratur, lege Roscia HS 400,000 statuta sunt. [2]) Quicunque hunc censum perdidit, desiit inter equites numerari, [3]) certusque decoctoribus locus in theatro assignatus erat, quamvis quis fortunae vitio, non suo decoxisset. [4]) Idemque census mansit sub imperatoribus. [5]) Neque tamen quicunque hunc censum haberet, ideo eques statim factus, in quatuordecim sedebat, sed quanquam unus tantum, isque perquam tenuis eius rei auctor est, [6]) tamen dubium esse non puto, quin lege Roscia etiam illud cautum fuerit, ne in XIV sederet, qui neque ingenuus, neque civis esset Romanus, [7]) qui iudicio publico damnatus esset, [8]) cui apud exercitum ignominiae caussa ordo ademtus esset, [9]) qui corpore quaestum, lenociniumve, quive lanisturam artemve ludicram faceret, [10]) et quae plura sunt eius generis. Quanquam Bentleius quidem ad Hor. epod. 4, 15 vehementer Torrentium aliosque idem affirmantes reprehendit, affertque Iuvenalem 3, 153

---

[1]) Senec. controv. 2, 9 p. 156 ed. Amstel. Census equitem a plebe discernit.

[2]) Hor. epist. 1, 1, 58.

Sed quadringentis sex septem millia desunt;
Plebs eris. At pueri ludentes, Rex eris, aiunt,
Si recte facies. Hic murus aeneus esto
Nil conscire sibi, nulla pallescere culpa.
Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum
Naenia?

Schol. Iuv. 2, 152. legi Othonis, qua iussit eos, qui quadringentorum sestertiorum haberent reditus (scribere voluit patrimonium) in numero equitum esse. Iuven. 14, 324.

Effice summam
Bis septem ordinibus quam lex dignatur Othonis.

Dio 54, 17 dicit finitis bellis civilibus Augustum censum senatorium fecisse δέκα μυριάδας i. e. HS 400,000, quod tum plurimae familiae patrimonia bello amisissent; postea eundem auxisse usque ad drachmas 250,000 i. e. HS 1,000,000. Suetonius contra dicit eum senatorum censum ampliavisse, ac pro octingentorum millium summa (ea autem duplex est eius, quam habet Dio) duodecies sestertium eos taxavisse. Hos locos sunt, qui ita inter se conciliari posse putent, ut Augustus tribus factis senatus lectionibus ter etiam ampliaverit censum, utque uterque huius rei auctor de diverso tempore dicat; verum Dionis numerum ideo falsum esse apparet, quia a censu equestri, qualis inde a Roscio fuit, non differt.

[3]) Cic. pr. Rabir. 15, 41. 17, 48. pr. Planc. 5, 12. M. Selus, qui ne equestrem quidem splendorem incolumem a calamitate iudicii retinere potuit. pr. Sest. 51, 110. Gellius, indignus ordine equestri, cuius ille ordinis nomen retinet, ornamenta confecit.

[4]) Cic. Phil. 2, 18. Illud tamen audaciae tuae, quod sedisti in XIV ordinibus, quum esset lege Roscia decoctoribus certus locus constitutus, quamvis quis fortunae vitio, non suo decoxisset. De poena theatrali cf. Suet. Oct. 40. Horat. epod. 4, 15. Martial. 5, 26.

[5]) v. Plin. H. N. 33, 8. Plin. epp. 1, 19. Iuven. 1, 105. 5, 132

Quadraginta tibi si quis deus aut similis Dis
Et melior fatis donaret, homuncio quantus
Ex nihilo fieres, quantus Virronis amicus.

Martial 4, 67. 5, 8. 5, 26.

Quadraginta tibi non sunt, Chaerestrate, surge,
Lectius ecce venit, sta, fuge, curre, late.

[6]) Schol. Cruq. ad Hor. epod. 5, 15. „Nam L. Roscius Otho trib. pleb. lege sua iussit, ex infimo genere hominum equitem fieri non licere“.

[7]) v. not. 26. cf. lib. IV c. 1 not. 15.

[8]) hoc et per se patet et pertinet etiam ad milites omnes. v. Dig. 49, 16 de re milit. c. 4 §. 4—7. In equitibus equo publico, qui tum soli supererant, Hadriani tempore observatum esse, ex rescripto Hadriani apud Dositheum apparet, de quo v. Cuiacii Obss. 21, 9 p. 718 ed. Heinecc. cf. lib. IV c. 3.

[9]) Liv. 24, 18.

[10]) Laberii exemplum v. ap. Macrob. Sat. 2, 7.

Exeat, inquit,
Si pudor est, et de pulvino surgat equestri
Cuius res legi non sufficit, et sedeant hic
Lenonum pueri quocunque in fornice nati —
Sic libitum vano, qui nos distinxit, Othoni.

Sed Iuvenalis non de ea lege, qualis ab initio fuit, sed de ea vi, quam suo tempore habuit, loquitur. Ea autem iam Caligulae aetate nulla fuit, [11]) frustraque Domitianus, suscepta correctione morum, licentiam theatralem promiscue in equite spectandi inhibuit. [12]) Neque ita putandus est „L. Otho equestri ordini dignitatem restituisse ea lege, quae est omnium gratissima, quod honestissimo ordini cum splendore fructus quoque iucunditatis est restitutus“, [13]) ut in his ordinibus sedere infimo cuique permissum esset, quum Gellio illi apud Ciceronem, [14]) homini et fratre indigno et ordine equestri, cuius nomen retinuit, ornamenta confecerat, libertina uxor dedecori esset, [15]) quumque ante Augustum ne ingenui quidem, nedum equites Romani libertinarum commixtione contaminare ingenuum sanguinem auderent. [16]) Accessit, quod ii tantum iure equites essent, qui a censore in album equitum relati essent, a quo ne eos quidem exceptos fuisse puto, qui ob bellicam virtutem, quod saepe accidit, ab imperatore anulo aureo i. e. censu equestri donati sunt. [17]) Hi enim non meliore iure equites nominabantur, quam senatores dicuntur ii, qui honoribus functi in senatum venerant, neque tamen in album senatorum a censore relati erant. [18]) Ac bellis quidem civilibus ut in senatum sic in ordinem equestrem multi irripserant, [19]) praesertim quum a censura Pisonis a. 50 usque ad Augustum et Agrippam censores a. 28 i. e. intra plus viginti annos una tantum censura fuerit Lepidi et Planci a. 42. [20]) Nec dubito, quin Caesar, ut ludis et arena equites contaminavit, sic totum nomen equestre indignis hominibus commaculaverit, et fortasse lex etiam Iulia theatralis ius illud in XIV sedendi multo pluribus, quam antea factum erat, tribuit. [21]) Augustus ut senatum, sic ordinem equestrem severiore censura purgavit, legibusque sanxit, ut veterem vitae dignitatem equites servarent. Quo pertinet, quod SCto sanciri iussit, ne quis eques

---

11) Suet. Calig. 26.

12) Suet. Dom. 8. Martial 5, 8.

Edictum domini deique nostri
Quo subsellia certiora fiunt,
Et puros eques ordines recepit —
Tandem commodius licet sedere,
Nunc est reddita dignitas equestris,
Turba non premimur nec inquinamur.

cf. Mart. 5, 25.

13) Verba sunt Ciceronis pr. Muraen. 19.

14) id. pr. Sext. 51, 110.

15) id. ib. 52, 110.

16) v. Heinecc. ad leg. Iul. et Pap. Popp. p. 119.

17) v. lib. IV, c. 1 not. 8.

18) Varro ap. Gell. 3, 18. Nam et curulibus magistratibus functi, qui nondum a censoribus in senatum lecti erant, senatores non erant: et quia in postremis scripti erant, non rogabantur sententias, sed quas principes dixerant, in eas discedebant.

19) Dio 40, 57.

20) v. Clintonis fasti Hell. Vol. III, p. 456.

21) v. not. 76.

Romanus publice saltaret depugnaretve,[22] quanquam ipse antea exemplo Caesaris ad scenicas et gladiatorias operas equitibus usus erat;[23] eique paullo post Augusti mortem additum, ne qua femina quaestum corpore faceret, cui avus aut pater aut maritus eques Romanus fuisset.[24] Eodemque maxime spectabat lex Iulia de maritandis ordinibus, cui tradunt acerrime restitisse equites Romanos,[25] eodemque, quod et libertos ab ordine equestri arcebat,[26] et, quum equitum plerique aut attrito bellis civilibus patrimonio[27] aut partitione inter plures liberos diminuto[28] spectare ludos e XIV non auderent metu poenae theatralis, pronuntiavit, non teneri ea, quibus ipsis parentibusve equester census unquam fuisset.[29] Qua lege quanquam Rosciae legi offecit, tamen id assecutus est, ut, cuius rei iam antea vestigia quaedam reperiuntur,[30] in equite non census solum, sed etiam generis ratio haberetur,[31] familiaeque exsisterent equestres, quae claritudine maiorum et opibus non multum veteribus illis,

---

22) Dio 54, 2.

23) Suet. Aug. 43. exempla v. ap. Dion. 48, 33. 53, 31.

24) Tac. Ann. 2, 85.

25) Suet. Oct. 34. Dio 56, I sqq.

26) Quanquam hoc nusquam diserte traditur, et quanquam Mena, Antonius Musa, Philopoemen (de hoc v. Dion. 47, 7. Suet. Aug. 27) e libertis equites factl sunt, sicuti etiam Vedius ille Pollio eques et ex amicis Augusti, libertinus genere fuit (Plin. H. N. 9, 23), tamen concludi potest et ex ea cautione, qua Augustus in civitate danda usus est (Suet. Oct. 33. Dio 56, 33), quaque nunquam libertinos coenae adhibuit (Suet. Oct. 74): idemque postea a prudentissimo quoque principe observatum. Constitutum est sub Tiberio, ne cui Ius annulorum esset, nisi sui ingenuo ipsi, patri avoque paterno HS CCCC census foisset, et lege Iulia theatrali in XIV ordinibus sedendi (Plin. H. N. 33, 8). cf. Lampr. Alex. Sever. 19 extr. „Idem libertinos nunquam in equestrem locum redegit, asserens seminarium senatorum equestrem locum esse". cf. de Claudio Plin. l. l. Suet. Claud. 25.

27) Suet. Oct. 40.

28) Lepidum de hac re est Martialis epigr. 5, 39.

Calliodorus habet censum, quis nescit? equestrem,
Sexte, sed et fratrem Callidorus habet.
Quadraginta secat, qui dicit *σῦκα μέριζε*.
Uno credis equo posse sedere duos.
Quid cum fratre tibi? quid cum Polluce molesto?
Non esset Pollux si tibi, Castor eras.
Unus, cum sitis duo, Calliodore, sedetis;
Surge, soloecismum, Calliodore, facis.
Aut imitare genus Ledae: aut, cum fratre sedere
Non potes, alternis, Calliodore, sede.

29) Suet. Oct. 40.

30) Cic. pr. Cluent. 15, 43. „Avitus (erat autem is Eques Romanus) pro loco, pro antiquitate generis sui, tantae voluntati Larinatium deesse noluit". pr. Planc. 13, 32. „Sed quum sit Cn. Plancius is eques Romanus, ea primum vetustate equestris nominis, ut pater, ut avus, ut maiores eius omnes equites Romani fuerint" et q. s. Attici perpetuo a maioribus accepta dignitas equestris etiam pueris e Cornelio Nepote nota est. Ironice Cic. Verr. 3, 60, 137 „Hic tu medicum et haruspicem et praeconem tuum recuperatores dabis, aut etiam illum ipsum, quem tu in cohorte tua Cassianum iudicem (cf. pr. Rosc. Am. 30) habebas, si qua res maior esset, ex vetere illa equestri disciplina". Scilicit Potamo scriba quaestorius, libertinus, et vix liber erat. cf. Cic. Div. 9. Verr. 3, 66, 154.

31) Dio 52, 19 in oratione Maecenatis: *τὰ δὲ αὐτὰ ταῦτα καὶ ἐπὶ τῶν ἱππέων ποίησον· τοὺς γὰρ τὰ δευτερεῖα ἑκασταχόθι καὶ γένει καὶ ἀρετῇ καὶ πλούτῳ φερομένους, ἐς τὴν ἱππάδα κατάλεξον.* Ovid. Trist. 4, 10, 7.

Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
Non modo fortunae munere factus eques.

id. Amor. 3, 15, 6.

Si quid id est, usque a proavis vetus ordinis heres,
Non modo militiae turbine factus eques.

id. ep. ex Ponto 4, 8, 17.

Seu genus excutias, equites ab origine prima
Usque per innumeros inveniemus avos.

cf. Amor. 3, 8, 8. Itaque filius equitis Romani iam non differt ab equite. v. Cic. pr. Planc. 7, 17. homines orti hoc nostro equestri loco. ib. 24, 59. Verr. I, I, 10. Vell. 2, 59, 2. et ludis dimicare non minus turpe est filio equitis, quam equiti ipsi. Dio 43, 23. Inde explicanda sunt, quae in posterioris aetatis inscriptionibus leguntur, Natus eques Romanus (Orelli inscr. n. 3047) eques Romanus trimulus (Or. n. 3050) eques decem annos natus (Or. n. 3054) aliusque XIV annorum ap. Grut. 348, 5. D. M. Q. AEMILII Q. F. QVIR. IVLIANI. EQ. R. QVI VIXIT A. XIIII. M. VI. D. XIII . . . . PARENTES quibus exemplis infra addentur similia equitum R. equo p. v. l. IV c. 3, 3.

quarum gloria supererat, vires minutae erant, cedentes, eruditionis morumque elegantia in civitate principes essent. [32])

2. Merere equis Augusti tempore paene desierant equites. Quae mutatio equestris militiae quomodo facta sit, quoniam et altioris quaestionis est explicare, et ab hoc loco alienum, paucis absolvere satis esse credidi. Initium enim eius sesundo Punico bello factum est per Scipionem Africanum, qui non modo barbaris primus auxiliaribus usus est, ut Hispaniensibus, [33]) Numidis, [34]) sed etiam in equestri militia id novavit, ut pro equite ipso vicarium expediret. [35]) Legit enim e totius Siciliae iuniorum numero principes genere et fortuna trecentos equites, qui secum in Africam traiicerent. Graecis ea militia procul domo terra marique multos labores, magna pericula allatura videbatur: neque ipsos modo, sed parentes cognatosque eorum ea cura angebat. Quum igitur dicta die equis armisque instructi adessent, arbitratus, segnes eos atque inutiles fore milites, arma equumque trecentis, quos secum duxerat, iuvenibus Romanis tradere iis permisit, quam conditionem illi laeti acceperunt. [36]) Non dubium est, quin eadem detrectandae militiae occasione, quotiescunque daretur, usi fuerint publicani, qui et multifariis in provinciis negotiis constricti sua commoda militiae aegre postponebant, [37]) et inter primos cum peregrino luxu vitaeque mollitia antiquos mores commutasse videntur. Nam gliscente in dies luxuria, magis magisque a militia abhorrebatur, barbaris in auxilia, libertinis in legiones receptis. Quanquam hoc quidem initio raro factum est. [38]) Postea, quum per Marium institutum esset, ut nulla census ratione habita e voluntariis militibus, non exclusis libertis servisque exercitus legerentur, [39]) eamque rationem inter bellorum civilium necessitates alii sequerentur, [40]) lege autem Iulia sublato inter Romanos sociosque discrimine legionum et conscribendarum et ornandarum forma plane diversa facta esset ab ea, cuius Po-

---

[32]) Cic. pr Planc. 24, 58. Hor. epist. 2, 1, 182.
Si discordet eques, media inter carmina poscunt
Aut ursum aut pugiles: his nam plebecula gaudet.
Verum equiti quoque iam migravit ab aure voluptas
Omnis ad ingratos oculos, et gaudia vana.
A. P. 248 sqq. Serm. 1, 10, 76.
Non ego; nam satis est, equitem mihi plaudere; ut audax
Contemtis aliis, explosa Arbuscula dixit.

[33]) Liv. 24, 49. „In Hispania nihil memorabile gestum, praeterquam quod Celtiberum iuventutem eadem mercede, qua pacta cum Carthaginiensibus erat, imperatores Romani ad se perduxerunt. Id modo eius anni in Hispania ad memoriam insigne est, quod mercenarium militem in castris neminem ante, quam tum Celtiberos Romani habuerunt". Liv. 27, 38, 11. „Magni roboris auxilia ex Hispania quoque a P. Scipione M. Livio missa quidam ad id bellum auctores sunt; octo millia Hispanorum Gallorumque — equitum ad mille octingentos mistos Numidas Hispanosque.

[34]) Liv. 27, 8.

[35]) Idem factum est seculo septimo decimo in Germania, ut equites ipsi quidem a militia liberarentur, equos tamen aut pro equis certam pecuniam darent. v. Stuhr Brandenb. Kriegsverf. p. 207 sqq.

[36]) Liv. 29, 1.

[37]) Athenis publicani militia immunes erant. Böckh Staatsh. 1, p. 362. Etiam illae tres societates publicanorum, qui a. 217 vestimenta frumentumque Hispaniensi exercitui praebenda conduxerunt, postulaverunt, ut militia vacarent, dum in eo publico essent. Liv. 23, 49, init.

[38]) Exempla collegit Huschk. de Serv. T. p. 219 n. 151.

[39]) Plut. v. Mar. 9, 41. v. Sullae 9. Sall. B. Iug. 84. 86. Liv. ep. 74. App. B. C. 1, 67. Gell. 16, 10. Flor. 3, 1. Valer. Max. 2, 3, 1. Caes. de B. C. 2, 18. 3, 4. Etiam Africani in legiones recepti sunt. Hirtius B. Afr. 35.

[40]) cf. n. 60. App. B. C. 1, 49. Macrob. Sat. 1, 11.

lybius imaginem exhibet, denique provinciis iis snbiectis, quae et milite et equis excellerent, [41]) accidit, ut et multi legitimis stipendiis se subducerent, et ii, qui bello urgente conscriberentur, ab antiqua virtute longe abessent. Itaque quum bello Macedonico secundo etiamtum equitatus melior pars esset exercitus, „qua invictos se esse gloriabantur Romani“, [42]) Gracchi tempore equites equo p. ignominioso Trossulorum nomine appellabantur, quod quanquam fuerunt, qui narratione de oppido quodam Trossulo excogitata in honorem equitum interpretari conarentur, tamen veram verbi originem obscurare non potuerunt, [43]) eoque nomine postea dignam se praebuit delicata manus Pompeii, [44]) in qua quum parum esset auxilii, robur equitum in Gallis ceterisque barbaris equitibus consistebat. Neque rara sunt clarorum hominum equitumque Romanorum inde a Marii aetate exempla, [45]) qui stipendia nunquam fecerint, quorum sufficiat notissima commemorare Sulpicii, [46]) M. Iun. Bruti, qui accusator dictus est, [47]) denique Ovidii. [48]) Ac quanquam Augustus teste Suetonio [49])

---

[41]) Hannibalis equitatus Romano melior (Liv. 21, 46), postea demum inferior fuit (ib. 26, 38). Iam ille homo, qui Minturnis Marium occisurus erat, *ἱππεὺς Γαλάτης τὸ γένος ἢν ἢ Κίμβρος*. Plut. v. Mar. 39. A. Albinus in Africa iam ante Marium duas Thracum turmas (Sall. Iug. 38), Coss. Mariani a. 83 Celtiberos equites habebant. App. B. C. 1, 89. De equis Gallicis v. Ukert Geogr. d. Gr. u. Roem. 3, 170 n. 7. adde Tac. Ann. 2, 5. Caes. B. G. 6. 7.

[42]) Liv. 42, 6, 4.

[43]) Narratio illa est in Paulli D. exc. p. 157 Lind. „Trossuli equites dicti, quod oppidum Tuscorum Trossulum sine opera peditum ceperint“, ap. Schol. Pers. 1, 81. „Trossulum oppidum fuit Hetruriae, non longe a Volscis. Hoc equites Romani sine peditibus expugnaverunt Numio quodam duce. Unde equites trossuli dicti sunt“, et ap. Plin. H. N. 33, 9. „Equitum quidem etiam nomen ipsum saepe variatum est, in his quoque, qui ad equitatum trahebantur. Celeres sub Romulo regibusque appellati sunt, deinde flexumines, postea trossuli, cum oppidum in Tuscis citra Volsinios passuum IX M sine ullo peditum adiumento cepissent eius vocabuli; idque duravit ultra C. Gracchum. Iunius certe, qui ab amicitia eius Gracchanus appellatus est, scriptum reliquit his verbis: Quod ad equestrem ordinem attinet, antea trossulos vocabant, nunc Equites vocant: ideoque, quia non intelligunt, trossulos nomen quid valeat, multos pudet eo nomine appellari: et causam, quae supra indicata est, exponit, invitosque etiamnum tamen trossulos vocari“. Sed sive trossuli dicti sunt pro torossulis, ut Nonius vult p. 49 Merc., quo respexit Glossarium laudatum a Scaligero ad Festi locum l.: „trusulus, *ὁ ἐν μικρῷ παχύς*“, sive illud verbum cum Salmasio derivandum est a *τρυσσὸς*, delicatus, luxu diffluens, quocum bene congruit Glossarii laudati scriptura trusulus, significationem nominis ostendunt Varro ap. Nonium v. Sesquiulysse p. 49 Merc. „Nunc emunt trossuli nardo nitidi vulgo Attico talento equum“. Pers. Sat. 1, 81

unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia laevis.

ubi recte Casaubonus dicit trossulos vocari, qui cultu et toto vitae genere ceteris praestare vellent. Senec. ep. 87. „M. Cato Censorius canterio vehebatur, et hippoperis quidem impositis, ut secum utilia portaret. O quam cuperem illi nunc occurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores et Numidas, et multum ante se pulveris agentem“. Eodem modo intelligendus Senec. ep. 76. „Philosophum audio. — Bona, inquis, aetate. Quid ni bona? quid autem stultius, quam quia diu non didiceris, non discere? Quid ergo? idem faciam, quod trossuli et iuvenes? Bene mecum agitur, si hoc unum senectutem meam dedecet“. Posterioris aevi scriptores, obsoleta verba captare soliti, trossulos pro equitibus dicunt. v. Lampr. v. Commodi 1, 2, de quo l. cf. c. 3, 3 not. 51.

[44]) v. p. not. 82. cf. equitem splendidum delicatum ap. Senec. de ira 2, 33.

[45]) Valer. Max. 6, 3, 3. „Ne in C. quidem Vettieno, qui sinistrae manus digitos, ne bello Italico militaret, sibi absciderat, severitas senatus cessavit, publicatis enim bonis eius ipsum aeternis vinculis puniendum censuit“. De hoc delicto, quod saepe in Italia, nunquam in Gallia (Ammian. Marc. 15, 12) committebatur — homines hi praecisis pollicibus proprio nomine Murci appellabantur — v. Cuiac. Obss. 15, 40. Gothofr. ad Dig. 49 tit. 16 de re milit. 4, 12. De anno 75 a. Chr. Plut. Cic. 6. *ἐπεὶ δὲ πολλοὶ τῶν ἀπὸ Ρώμης νέων ἔνδοξοι καὶ γεγονότες καλῶς, αἰτίαν ἔχοντες ἀταξίας καὶ μαλακίας περὶ τὸν πόλεμον, ἀνεπέμφθησαν ἐπὶ τὸν στρατηγὸν τῆς Σικελίας, κ. τ. λ.*

[46]) Cic. pr. Muraena 7, 16. coll. 9, 19 20.

[47]) Drum. R. G. 4. Iunii n. 25.

[48]) Ovid Trist. 4, 1, 71. 2, 539.

[49]) Oct. 24.

„in re militari et commutavit multa, et instituit, atque etiam ad antiquum morem nonnulla revocavit; quanquam disciplinam severissime rexit,[50]) equitem Romanum, quod duobus filiis adolescentibus caussa detrectandi sacramenti pollices amputasset,[51]) ipsum bonaque subiecit hastae", cuius severitatis Suetonius exempla multa habet: tamen quod ab eodem paullo post traditum legimus,[52]) „Libertino milite praeterquam Romae incendiorum caussa, et si tumultus in graviore annona metueretur, bis usus est: semel ad praesidium coloniarum, Illyricum contingentium;[53]) iterum ad tutelam ripae Rheni fluminis"[54]) id de legionibus tantum intelligendum esse, ex eo apparet, quod addit: „eosque servos adhuc viris feminisque pecuniosioribus indictos, ac sine mora manumissos, sub priore vexillo habuit, neque aut commixtos cum ingenuis, aut eodem modo armatos". Extra legiones enim et libertinis et barbaris militibus multis utebatur. Nam ut vigiles omittam,[55]) quos commemoravit ipse Suetonius, habuerunt imperatores inde ab Iulio Caesare corporis custodes Hispanos, Calagurritanos, Germanos;[56]) auxiliares vero alae cohortesque non solum ex provincialibus sociisque aut foederatis, sed etiam ex Batavis, Mauris, Armeniis, Getis, Dacis, Dalmatis aliisque barbaris gentibus mercede conductis conscribebantur;[57]) socii navales, i. e. remiges et milites ex hominibus pauperrimis, libertinis atque adeo ex servis supplebantur.[58]) Legiones autem quanquam sub prioribus Caesaribus e civibus legebantur, tamen in his non erant Italici aut urbis Romae cives, sed ut in alis cohortibusque civium Romanorum[59]) peregrini sociique, qui civitate donati essent.[60])

---

50) Macer. de re milit. l. I. Dig. 49 tit. 16 de re mil. 12, 1. Nam in disciplina Augusti ita cavetur: Etsi scio fabrilibus operibus exerceri milites non esse alienum, vereor tamen, si quicquam permisero, quod in usum meum aut tuum fiat, ne modus in ea re non adhibeatur, qui mihi sit tolerandus.

51) v. n. 45.

52) c. 25.

53) a. 7 p. Chr. Dio 55, 31. Vell. 2, 111.

54) post cladem Varianam.

55) Hi enim omnes libertini erant. v. c. 4, 3 n. 55.

56) Lips. ad Tac. Ann. 13, 18. „Iulius Caesar Hispanorum cohortem habuerat custodiae suae (Suet. Iul. 86), et Calagurritanorum manum Augustus (Suet. Oct. 49). Sed ii dimissi, in eorum vicem allecti Germani. Quos ipsos metu aliquo et suspicione ob Vari cladem dimiserat, (Suet. l. l.) sed mox, ut opinor, recepit Augustus. Habuit certe eos inter initia principatus Tiberius (Tac. Ann. 1, 24) aliique ad Galbam usque. (Suet. Galb. 12.) Sed et post eum iterum recepta, uti clarum ex historia inferiore". Collegium Germanorum, s. cohors, statio Germanorum, de qua egrégie disputavit Marini Atti 2, p. 472 not. 25 maxime constabat e Batavis, qui omnes erant aut servi, aut liberti, aut novi cives, in civitatem recepti per Tiberium aut Claudium (Doni Cl. VI n. 100—102. Murat. 119, 1. Grut. p. 600 n. 12. 13. p. 602, 8. 9. p. 603, 1. 3).

57) v. Marini Atti 2 p. 434. cf. quos I. Walter R. R. p. 341 not. 13.

58) Marini Atti p. 434 p. 472 not. 31.

59) id. p. 476 not. 41. Unum exemplum afferam Grut. p. 499, 3. Cohors III GALLICA CIVIVM ROMANORVM. Multa alia habet Marinius. cf. Orell. Inscr. n. 3398 et saepius. Ab his civibus novis alii distinguuntur adiecto nomine civium R. ingenuorum v. Maff. M. V. p. 113 n. 2 ap. Orell. n. 488. cf. Mar. 2 p. 435.

60) v. Crameri Opusc. p. 31. Marinius l. l. p. 434 ostendit et Salmasium errare, qui ad Vopisci Prob. 14 dicit, Porbum primum in legiones barbaros recepisse, et Spanhemium O. R. exerc. II §. 23, qui communicata per Caracallam cum toto orbe terrarum civitate in legiones peregrinos venisse coniecerat. Nam et ante et post hoc tempus in legionibus libertini erant. Iam Nero ex remigibus legionem fecerat, (Suet. Galba 15. Tac. H. 1, 31.) ea postea Othonis sacramentum accepit. Tac. H. 1, 36. 37. 2, 11. Muciano cum Vespasiani copiis in Italiam profi-

Ne praetoriae quidem urbanaeque cohortes, quae sub Tiberio Etruria ferme Umbriaque ac vetere Latio et coloniis antiquitus Romanis delegebantur, [61]) sub Augusto ab admixtione Gallorum Germanorumque erant liberae; [62]) ad praesidium Italiae duae legiones in Dalmatia locatae erant, [63]) Romaeque et in municipiis peregrini stationes habebant. [63a]) Ac sunt, qui prudentem scientemque exuisse Italiam armis Augustum arbitrentur, [64]) certe neque post Varianam cladem quisquam inventus est, qui acceptam ignominiam ulcisci conaretur, [65]) neque post Augusti mortem quidquam validum in exercitibus, nisi quod externum, fuit. Inops Italia, imbellis urbana plebes, [66]) militares artes per otium ignotae erant. [67]) Equites, quum antea et legionarii essent et alarii, quorum illi ex equitibus aut civibus certe Romanis, hi e sociorum provincialiumque copiis conscribebantur, post Augustum utrique, quamvis tum quoque nomine distincti, e sociis fuere. [68]) Sed sicuti, ut supra demonstravi, [69]) bellis Punicis equites equo publ. ita ceteris equitibus dignitate praecellebant, ut aut in cohorte praetoris essent,

---

ciscente, ad has e classicis Ravennatibus, legionariam militiam poscentibus, optimus quisque asciti: classem Dalmatae supplevere. Tac. H. 3, 50. M. Antonin. philosoph. instante pestilentia servos, quemodmodum bello Punico factum fuerat, ad militiam paravit. Armavit etiam gladiatores. Latrones etiam Dalmatiae atque Dardaniae milites fecit. Capitol. M. Ant. 21. Quanquam hi in legiones recepti non esse videntur, a quibus servos Iustiniani etiam leges prohibent. Dig. 49 tit. 16 de re mil. c. 2, 1 et c. 11. cf. Plin. ep. 10, 38. 39. Memorabilis Aristidis locus est or. in Romam Vol. 1 p. 380 Cant. Vol. I, p. 218 Iebb. *καὶ ὡς εὕρετε, ὁμοῦ τῆς τε πατρίδος ἀπηλλάξατε καὶ τὴν ὑμετέραν αὐτῶν πόλιν ἀντέδοτε αὐτοῖς· ὥστε καὶ αἰσχυνθῆναι καὶ τὸ λοιπὸν αὐτοὺς ἐκείνους γ᾽ ἂν εἰπεῖν, ὅθεν ἦσαν τὸ ἀρχαῖον· ποιησάμενοι δὲ πολίτας, οὕτω καὶ στρατιώτας ἐποιήσατε·* κ. τ. λ. Sed etiam hunc locum non ad legiones sed ad alas cohortesque civium Romanorum (v. n. 59) pertinere, egregie ostendit Marin. p. 435. Spanhemium sequitur Walter R. R. p. 230 sq.

61) Tac. Ann. 4, 5.

62) Dio 56, 23 extr.

63) Tac. l. l.

63a) Marini Atti 2, p. 434. Frontin. de colon. p. 134 Goes. Ferentinum oppidum muro ductum. — Ager eius peregrinis militibus pro parte in iugeribus et lacineis est assignatus. cf. p. 105. id. p. 136: Aquinus, muro ducta colonia. — Ager eius peregrinis militibus est assignatus. cf. p. 102.

64) Dio 52, 27 in oratione Maecenatis: *ἄν τε ἐπιτρέψωμεν πᾶσι τοῖς ἐν τῇ ἡλικίᾳ οὖσι καὶ τὰ ὅπλα κεκτῆσθαι, καὶ τὰ ἐμπολέμια ἀσκεῖν, στάσεις καὶ πόλεμοι ἀπ᾽ αὐτῶν ἐμφύλιοι ἀεὶ γενήσονται. — — διὰ μὲν δὴ ταῦτα γνώμην ποιοῦμαι, τοὺς μὲν ἄλλους πάντας ἄνευ τε ὅπλων, καὶ ἄνευ τειχῶν ζῆν· τοὺς δὲ ἐῤῥωμενεστάτους καὶ βίου μάλιστα δεομένους καταλέγεσθαί τε καὶ ἀσκεῖν· αὐτοί τε γὰρ ἄμεινον πολεμήσουσι, τούτῳ μόνῳ τῷ ἔργῳ σχολάζοντες, καὶ οἱ λοιποὶ ῥᾷον γεωργήσουσι, καὶ ναυτιλοῦνται, τά τε ἄλλα τὰ τῇ εἰρήνῃ προσήκοντα πράξουσι, μήτε ἐκβοηθεῖν ἀναγκαζόμενοι, καὶ προφύλακας σφῶν ἑτέρους ἔχοντες.*

65) Dio 56, 23. *καὶ οὔτε πολιτική οἱ ἡλικία ἀξιόλογος ὑπελέλειπτο, καὶ τὰ συμμαχικὰ ὧν τι καὶ ὄφελος ἦν, ἐκεκάκωτο, — καὶ ἐπεὶ μηδεὶς τῶν τὴν στρατεύσιμον ἡλικίαν ἐχόντων καταλεχθῆναι ἠθέλησεν, ἐκλήρωσεν αὐτούς, καὶ τῶν μὲν μηδέπω πέντε καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονότων τὸν πέμπτον, τῶν δὲ πρεσβυτέρων τὸν δέκατον ἀεὶ λαχόντα τήν τε οὐσίαν ἀφείλετο καὶ ἠτίμωσε. καὶ τέλος, ὡς καὶ πάνυ πολλοὶ οὐδ᾽ οὕτω τι αὐτοῦ προετίμων, ἀπέκτεινέ τινας.*

66) Tac. Ann. 3, 40.

67) Tac. Ann. 12, 12. cf. quae idem ib. 13, 35 de Syriacis legionibus sub Nerone habet. De Italia Herod. 2, 11, 4. *ἐς ὅσον μὲν γὰρ ὑπὸ δημοκρατίας τὰ Ῥωμαίων διῳκεῖτο, καὶ ἡ Σύγκλητος ἐξέπεμπε τοὺς τὰ πολεμικὰ στρατηγήσοντας, ἐν ὅπλοις Ἰταλιῶται πάντες ἦσαν, καὶ γῆν καὶ θάλατταν ἐκτήσαντο, Ἕλλησι πολεμήσαντες καὶ βαρβάροις· οὐδέ τι ἦν γῆς μέρος, ἢ κλίμα οὐρανοῦ, ὅπου μὴ Ῥωμαῖοι τὴν ἀρχὴν ἐξέτειναν· ἐξ οὗ δὲ εἰς τὸν Σεβαστὸν περιῆλθεν ἡ μοναρχία, Ἰταλιώτας μὲν πόνων ἀνέπαυσε, καὶ τῶν ὅπλων ἐγύμνωσε, φρούρια δὲ καὶ στρατόπεδα τῆς ἀρχῆς προυβάλετο, μισθοφόρους ἐπὶ ῥητοῖς σιτηρεσίοις στρατιώτας καταστησάμενος, ἀντὶ τείχους τῆς Ῥωμαίων ἀρχῆς· ποταμῶν τε μεγέθεσι καὶ τάφρων ἢ ὀρῶν προβλήμασιν, ἐρήμῳ τε γῇ καὶ δυσβάτῳ φράξας τὴν ἀρχὴν ὠχυρώσατο.* cf. Dio 74, 2. Etiam Seneca de exercitationibus bellicis quasi de re prorsus antiquata loquitur ep. 36. Si in Parthia, inquit, quis natus esset, arcum infans statim tenderet; si in Germania, protinus puer tenerum hastile vibraret; si avorum nostrorum temporibus fuisset, equitare et hostem percutere didicisset.

68) Ern. ad Tac. Ann. 4, 73. Schel. ad Hyg. in Graev. Thes. Vol. X p. 1075 sq.

69) v. p. 15.

aut tribunorum praefectorumque munere fungerentur, sic extremo liberae reipublicae tempore accidit, ut, quicunque equites Romani stipendia facerent, ii altiore statim militiae gradu digni haberentur. Ut Scaptius, eques R. negotiatorque in provincia Cilicia, ab Appio praefecturam obtinuerat; aliis a Bruto sibi commendatis praefecturas Cicero dedit, isque ipse Trebatium eodem consilio Caesari commendavit,[70] sub quo multi in Gallia equites Romani merebant.[71] Hae sunt illae militiae equestres sive splendidae militiae stipendia,[72] quae frequentissime commemorantur, quaeque postea eum ordinem habuerunt, ut post cohortem ala, post alam tribunatus legionis daretur.[73] Ad Augusti quoque tempus referenda videtur distinctio inter tribunatum angusticlavium, dignitatem equestrem,[74] et laticlavium, dignitatem senatoriam,[75] ad quam quum ne equitibus quidem via praeclusa esset, id certe hoc gradu honorum effectum est, ut et equestris dignitas militia appeteretur,[76] et equites Romani, si minus bellicam laudem, at amplissimi ordinis honorem militia assequi concupiscerent.[77]

---

70) Cic. ad Att. 5, 21, 61. ad fam. 7, 5., quos locos laudat Ern. ad Suet. Claud. 25.

71) Caesar, quum praefectos tribunosque militum maritimae civitates in custodia habuissent, (B. G. 3, 7) inter belli caussas recenset c. 10 iniurias retentorum Equitum Romanorum. Idem de iis, qui ab Afranio ad se transiissent B. C. 1, 77. Centuriones, inquit, in ampliores ordines, Equites Romanos in tribunitium restitui honorem.

72) Iam de Cinnano bello Valer. Max. 4, 7, 5. „L. Petronius, humili loco natus, ad equestrem ordinem et splendidae militiae stipendia pervenerat. De mil. eq. v. Plin. ep. 25, 8. Vell. 2, 111, 3. Reines. inscr. p. 440, 90. Donii inscr. p. 253, n. 107. Orell. n. 4552. T. VARENO — OMNIBVS EQVESTRIBVS MILITIIS PERFVNCTO. Dig. 29 tit. 1, 43. „Filius familias, equestri militia exornatus et in comitatu principum retentus, cingi confestim iussus, testamentum de castrensi peculio facere potest". Ut inter evocatos equites R. mererent, Galbae tantum tempore factum esse invenio. Suet. Galb. 10.

73) Suet. Claud. 25.

74) Suet. Oth. 10. „Interfuit huic bello pater meus, Suetonius Lenis, tertiae decimae legionis tribunus angusticlavius". Quae nunc est plerorumque sententia, tribunus laticlavius legionis est (Horat Serm. 1, 6, 48. Vopisc. Prob. 4), angusticlavius cohortis (Caes. B. C. 2, 20. Plin. ep. 3, 9). Ille, ut Veget. 2, 7 ait, maior dictus, imperatoris iudicio destinabatur, hic, minor appellatus, ex labore proveniebat.

75) Suet Oct. 38.

76) Martial. 3, 95, 9. Vidit me Roma tribunum,
Et sedeo, qua te suscitat Oceanus.

Ovid. fast. 4, 384 (loquitur tribunus sedens in XIV):
Dux mihi Caesar erat, sub quo meruisse tribunus
Glorior; officio praefuit ille meo.
Hanc ego militia sedem, tu pace parasti.

Calpurn. ecl. 7, 28.
Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras.
Nam quaecunque patent sub aperto libera coelo,
Aut eques aut nivei loca densavere tribuni.

Vera cum falsis miscens Schol. Hor. Epod. 4, 15. Otho XIV gradus in theatro equiti separaverat, ex quibus primi tribuniciis potestatibus vacarent. Neque enim Otho tribunis locum in XIV dederat, sed, ni fallor, Iulius Caesar lege Iulia theatrali. Ceterum cf Lips. de amphith. c. 14. Huc pertinet etiam Iuvenalis aurum semestre (7, 89) i. e. ius anuli aurei, semestri tribunatu (Plin. H. N. 3, 4, 2) partum. Etiam primipili ad equestrem dignitatem promoti sunt. Martial. 6, 58, 9.
Sospite me sospes Latias reveheris ad urbes,
Et referes pili praemia clarus eques.

Ovid. Am. 3, 8, 15.
Laeva Manus, cui nunc serum male convenit aurum,
Scuta tulit.

ib. 25.
Discite, qui sapitis, non quae nos scimus inertes,
Sed trepidas acies, et fera castra sequi;
Proque bono versu primum deducite pilum.

cf. id. ib. 3, 15, 6. Plura v. lib. IV c. 1 not 8.

77) Senec. ep. 47. Mariana clade quam multos splendidissime natos, senatorium per militiam auspicantes gradum fortuna depressit? Cassiodor. Var. 6, 14. Iam senatus praedestinatus est, cui nos contulimus laticlaviam dignitatem. Dio 67, 11. *Ἰούλιος Καλούαστρος, κεχιλιαρχηκὼς εἰς βουλείας ἐλπίδα.* Id. in or. Maec. 52, 25. *ὅστις δ᾽ ἂν τῶν ἱππέων, διὰ πολλῶν διεξελθὼν, ἐλλόγιμος, ὥστε καὶ βουλεῦσαι, γένηται, μηδὲν αὐτὸν ἡ ἡλικία ἐμποδιζέτω πρὸς τὸ μὴ οὐ καὶ ἐς τὸ συνέδριον καταλεχθῆναι· ἀλλ᾽ ἐσγραφέσθωσαν καὶ ἐξ ἐκείνων, κἂν λελοχαγηκότες τινὲς ἐν τοῖς πολιτικοῖς στρατοπέδοις ὦσι, πλὴν τῶν ἐν τῷ τεταγμένῳ ἐστρατευμένων.* Plin. epp. 6, 31, 4. Nupta haec erat tribuno militum, honores petituro.

Cap. III.

Equites equo publico.

1. Totum igitur ordinem et purgaverat censu, et militia splendida honestaverat: restituit etiam equorum publicorum honorem. Etenim quum post Veientinum bellum equestri militia, post Gracchos privilegio iudiciorum, post Roscium denique ordinibus XIV aequo iure equites universi fruerentur, una re etiamtum a ceteris hi differebant, quod suffragia ferebant in duodeviginti centuriis. Quanquam comitiorum iure sublato, ne illud quidem iis relictum est. Quod tamen equorum assignandorum publice et ad hanc usque aetatem institutum servatum est, et postea etiam, quum iam diu eorum usus nullus esset, duravit, in eo maxime erat positum, quod hi equites, ut in comitiis distincti a reliquis fuerant, sic inter se quasi collegium efficiebant, quod, coniunctum cum sacris publicis antiquissimis, [1]) honestissimos quosque et splendidissimos equestris ordinis viros, severe a Censoribus lectos, complectebatur, quo fiebat, ut et muneris certi et honoris aliqua his umbra superesset, qua callide, ut solebat, Augustus usus est. Olim quinto quoque anno a Censoribus, lecto senatu,[2]) **recognitio** equitum facta est, ut equites, a praecone secundum tribus [3]) citati, [4]) ducentes manu equum, ad sedentes in foro censores accederent, [5]) et aut traducerent equum, [6]) si et vir et equus censoribus probaretur,[7]) aut, notati aliqua ignominia,[8]) vendere equum iuberentur.[9]) Ademtionem igitur equi ad eos apparet solos pertinuisse, qui publicum equum haberent, eaque coactum fuisse equitem pecuniam ad equum emendum publice datam aerario restituere: [10]) quod coniunctum plerumque cum ea nota erat, ut tribu moverentur, fierentque aerarii, [11]) id etiam ad eos pertinebat, qui equum non habebant. [12]) Posteriori aevo censorium nomen asperius, potestas regia, iudicium incertum videbatur, [13])

---

[1]) Dion. Hal. 6, 13 p. 1068 R. *θυσίαι δὲ πολυτελεῖς, ἃς καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ὁ δῆμος ἐπιτελεῖ διὰ τῶν μεγίστων ἱππέων ἐν μηνὶ Κοϊντιλίῳ λεγομένῳ, ταῖς καλουμένοις εἰδοῖς.* Etiam curiarum sacra publica impensa fiebant. v. Dirksen Civ. Abh. 2, p. 12.

[2]) Duker. ad Liv. 29, 31.

[3]) Liv. 39, 37, 8.

[4]) Loci veterum de recognitione equitum, quos, ne quid in hoc libello desideraretur, adscripsi, et a Muhlerto de eqq. p. 23 et a multis ante eum plerique congesti erant. de citatione eqq. v. Liv. 29, 37. 24, 18.

[5]) Plut. Pomp. 22. Dio 55, 31.

[6]) Cic. pr. Cluent. 48. Ovid. Tr. 2, 89.

[7]) Gell 4, 12. Si quis eques R. equum habere gracilentum aut parum nitidum visus erat, impolitiae notabatur. Id verbum significat, quasi tu dicas incuriae: cuius rei utriusque auctoritates sunt: et M. Cato id saepenumero attestatus est. cf. id. 4, 20. Paulli exc p. 80 Lind.: Impolitias censores facere dicebantur, quum equiti aes abnegabant ob equum male curatum.

[8]) de variis harum notarum caussis v. praeter alios Gell. 4, 12. Suet. Aug. 39. Tib. 42 Claud. 16

[9]) Liv. 29, 37 et saepe. De formula adimere equum v. Liv. 24, 53, 3. 27, 11, 14. 39, 42, 6. 44, 1. 43, 16, 1 et saepius.

[10]) v. Festi locum laudatum not. 7. Nieb. R. G 1, p. 486.

[11]) Duk. ad Liv. 24, 18, 6.

[12]) Liv. l. l. Eorum, qui iudices erant, alia poena fuit, ut ex iudicum albo eraderentur. Suet. Claud. 16. de hoc albo cf Suet. Tib. 51.

[13]) Cic. divin. in Verr. 3. pr. Cluent. c. 44—46, et de Clodii lege, ne quis ab uno censorum lure damnari possit, Drum. 2, 194. 242 sqq.

quumque nihilominus respublica magistratum requireret, qui et de veteribus locationibus cognosceret, et novas institueret, populus, cum nollet creare Censores, aut eam partem potestatis censoriae, qua neque ipse offendebatur, neque diutius carere respublica potuit, extra ordinem lege data Consulibus permisit,[14]) aut, vitato certe invidioso nomine, praefectum morum imponi sibi patiebatur.[15]) Sed cum nomine censoris etiam genus censurae mutatum est, recognitio autem equitum tamdiu intermissa, ut, quum Augustus, suscepto regimine morum, equites recenseret, multi vel senio vel labe aliqua corporis ita affecti essent, ut, praemisso in ordine equo, ad respondendum, quoties citarentur, pedibus venire iis permitteret.[16]) Recognitionis vero illius per hunc duplex mutatio facta, altera, quod sive impetratis a senatu decem adiutoribus[17]) sive triumviris recognoscendi turmas equitum, quos ipse instituerat, assumtis,[18]) equites recensebat; altera, quod, quum recognitio antea semel institueretur intra quinquennium, nihilque commune cum transvectionis pompa haberet, per Augustum utraque coniuncta esse videtur.[19]) Quanquam quotannis ab initio cum transvectione recensum institutum fuisse, equidem pro certo haud asseveraverim, etsi frequenter eum repetitum esse lego.[20]) His igitur recognitionibus unumquemque equitum rationem vitae reddere coegit;[21]) reiecit insignes corporis vitio;[22]) improbatos poena alios, alios ignominia notavit; plures etiam varie admonuit:[23]) quo effecit, ut splendorem antiquum, quatenus

---

14) Garat. ad Cic. Verr. 1, 55. 2, 3, 7. Mazoch. ad Tab. Her. p. 378. 380.

15) Primus Pompeius, tertium consul, corrigendis moribus delectus est. Tac. Ann. 3, 28. De Caesare v. Drum. 3, 609. Augustus praefecturam morum suscepit a. 28. Sub Caesaribus tam insuetum fuit Censurae nomen, ut prorsus aliam significationem acciperet. v. Salmas. ad Capitol. Ant. ph. 22.

16) Suet. Oct. 38. de quo l. v. p. 71.

17) Suet. Oct. 39.

18) ib. 37.

19) Sic intelligi potest etiam Suet. Oct. 38. „Equitum turmas frequenter recognovit, post longam intercapedinem reducto more transvectionis". Sed disertius docet Dio. Quum enim a Graecis recensus dicatur *ἐξέτασις*, ut Plut. Crass. 13. *οὔτε βουλῆς ἐξέτασιν, οὔθ' ἱππέων ἐπίσκεψιν, οὔτ' ἀποτίμησιν πολιτῶν ἐποιήσατο*, et *ἐξέτασις τῶν βουλευτῶν, τῶν ἱππέων, τοῦ πλήθους* ap. Dion. 54, 26. 55, 31. 43, 21. idem 63, 13 extr.: *λέγεται δὲ*, inquit, *ὅτι καὶ οἱ ἱππεῖς οἱ ἐκ τοῦ τέλους* (i. e. equo p.) *ἐπὶ αὐτοῦ* (sub Nerone) *πρῶτον ἐφιππίοις* (sic Lamb.) *ἐν τῇ ἐτησίᾳ σφῶν ἐξετάσει ἐχρήσαντο.* ex quo loco, si accurate Dio locutus est, recte coniicitur, tum ut transvectionem, sic coniunctam cum ea recognitionem annuam fuisse. Etiam Constantini M. tempore utramque uno die institutam Gothofredus docuit ad Cod. Theod. l. 14 tit. 3.

20) v. Suet. l. n. 19. Ovid. Tr. 2, 541:

Carminaque edideram, quum te delicta notantem
Praeterii toties iure quietus eques.

Equitum recensus non magis tum ad lustrum pertinebat, quam lectio senatus. Censum enim populi ter egit Augustus, (Suet. 27) lustrum ter condidit, annis 28 et 8 a. Chr., 14 p. Chr. Ac quanquam secundum Marm. Anc. tab. 2 a laeva ter quoque, si recte ita scribitur, senatum legit, tamen ex quinque lectionibus, quas Dio commemorat, difficile tres ad lustra illa referuntur. Ad a. 28 quidem pertinet Dio 52, 42. tertia autem Dionis lectio (54, 35) in annum 11 incidit, tribus annis lustrum praecedens, denique a. 14 p. Chr. nullam commemorat, et sunt quaedam, quae de hoc lustro contra Clintonem (Fast. H. III p 457) dici possint. Contra secunda lectio facta est, Dione auctore 54, 13, a. 18, quarta a. 13 (54, 26), qua allegebantur tantum quidam in senatum, quinta denique a. p. Chr. 4, quo anno Italicorum quoque census est habitus. (55, 13.) Sed de hoc alio loco explicatius dicam.

21) Suet. Oct. 39.

22) Quod et in senatoribus observatum est, ne quis corporis vitio laboraret (Dio 54, 26), et in Vestalibus, ne qua lingua debili sensuve aurium diminuta, aliave qua corporis labe insignita esset (Gell. 1, 12. v. Crameri opusc. p. 109 sqq.), id repetita eadem, qua Gellius usus est, formula, de equitibus Suet. Oct. 38. Etiam corpulento nimisque pingui equus ademptus. Gell. 7, 22.

23) id. ib. 39.

tum fieri potuit, equites R. eq. p. recuperarent, ceterisque honore atque dignitate praecellerent. Eodem consilio transvectionis morem reduxit.[24]

2. Bis enim urbem spectaculo sui equestris ordinis iuventutem omnibus annis celebrasse, Lupercalibus atque Idibus Iuliis, Valerius Maximus auctor est.[25] Ac de illis quidem nihil praeterea traditum inveni, nisi forte iuvenes illi, qui Lupercalibus in Lupercali in Panos honorem sacra faciebant,[26] equites erant, aut sacra illa, quae ad Celeres olim pertinuisse Dionysius scribit,[27] cum his coniuncta fuerunt.[28] Idibus Iulius solemnia Castorum celebrabantur, eodemque die et aedes Castoris, a. 496 a. Chr. dedicata,[29] quam Latino bello dictator Posthumius voverat, et transvectio primum acta, sive illa ab eodem dictatore, quae Dionysii est sententia, post pugnam ad Regillum,[30] sive, ut Livius ait, a Q. Fabio Maximo a. 305 a. Chr. instituta est.[31] Idibus igitur Quintilibus, peractis magnificis in aede Castorum per primores equitum sacrificiis, pompam ducebant equites equo publico;[32] divisi in sex turmas, seviris equitum Romanorum ducibus,[33] suo quisque ordine, quasi e pugna redirent,[34] coronati fronde oleagina,[35] trabeis induti,[36] initium pompae facientes a quodam templo

---

24) Suet. Oct. 38.

25) 2, 2, 9.

26) Varro de L. L. 4, 13. 5, 3.

27) 2, 64 p. 372 R. *τὴν δὲ τρίτην (τῶν ἱερουργιῶν) διάταξιν ἀπέδωκε τοῖς ἡγεμόσι τῶν κελερίων — καὶ γὰρ οὗτοι τεταγμένας τινὰς ἱερουργίας ἐπιτέλουν.*

28) Nescio an antiquis temporibus Neptuni Equestris (cf. Liv. 1, 9. Diodor. 5, 69) cultus ad equites pertinuerit. Fortunae equestri a. 22 p. Chr. pro valitudine Augustae Equites Romani donum vovent. Tac. Ann. 3, 71. et de fortuna Equestri interpp. ad h. l.

29) Liv. 2, 42.

30) Dionys. 6, 13 p. 1068 R. quem in descriptione transvectionis secutus sum, quibusdam aliunde additis.

31) Liv. 9, 46. Valer. Max. 2, 2, 9. Aur. Vict. 32.

32) Inde formula e q u o p u b l i c o t r a n s v e c t u s e s t. Orell. Inscr. n. 3052. Ulpian Dig. 2 tit. 4 de in ius voc. „In ius vocari non oportet — — eum, qui equo publico in causa publica (l. in Capitolium cf. Cuiac. Obss. 13, 29) transvehatur“. cf. Suet. Oct. 38. „Neque detrahi quemquam in transvehendo ab accusatore passus est“.

33) Dionysii verba sunt *κατὰ φυλάς τε καὶ λόχους κεκοσμημένοι,* quae Reiskius interpretatur t r i b u t i m e t c e n t u r i a t i m d i s t i n c t i. Sed quamquam ap. Dionys. 4, 18 p. 681 R. *ὀκτωκαίδεκα λόχοι* sunt XVIII centuriae, t u r m a t i m autem aliis locis vertit *κατὰ τέλη,* (v. 4, 22, p. 690. 5, 46, p. 951 R.) tamen et notum est turmatim in transvectione equites incessisse, (v. Tac. Ann. 2, 83. Varro de L. L. 5. 93 Speng. Paulli exc. p. 153 Lind. Festus p. 270 Lind. Statius 5, 2, 18 et alii multi) et idem Dionys. 7, 72 p. 1485 R. *ἱππεῖς μὲν,* inquit, *κατ' ἴλας τε καὶ κατὰ λόχους, πεζοὶ δὲ κατὰ συμμορίας τε καὶ τάξεις.* Nihil aliud autem esse *φυλήν* atque *ἴλην* i. e. turmam, ostendit, ne alios afferam, *ἴλαρχος φυλῆς* i. e. sevir turmarum eqq. R. ap. Zonaram 10, 35 p. 407 B. ed. Venet. *λόχοι* decuriae sunt. Sed turmas sevirosque equitum Romanorum fuisse, ex inscriptionibus solis colligitur, in quibus sunt V I v i r E q. R. t u r. I I. Orell. n. 3044. s e v i r t u r m a e s e c u n d a e Orell. n. 3046. V I v i r e q u i t u m R o m a n. t u r m. q u i n t. Grut. p. 393, 6. 1093, 7. s e v i r t u r m a r. e q. R o m. Grut. p. 436, 7. s e v i r e q u i t u m R o m. Grut. p. 1101, 8. 1102, 3. cf. Marini Atti I p. 146. 2, p. 755. ab iisque ludi sevirales celebrabantur. Capitol. v. M. Ant. philos. 6. Etiam Plinius secundus sevir equitum fuit. v. inscr. Mediolanensem ap. Orell. n. 1172.

34) Zosimus 2, 29. *τῆς δὲ πατρίου καταλαβούσης ἑορτῆς, καθ' ἣν ἀνάγκη ἦν τὸ στρατόπεδον* (intelligit turmas eqq.) *ἀνιέναι εἰς τὸ Καπιτώλιον κ. τ. λ.*

35) Plin. H. N. 15, 5.

36) De trabea copiosius quam dilucidius contra Rubenium de lato clavo 1, 5. disputat Ferrarius in anall. de re vest. p. 14 sqq. p. 144. p. 150. Hanc ad equites eq. p. proprie pertinere, qui ideo dicuntur a g m i n a t r a b e a t a, (Stat. Sylv. 4, 2, 32) Equites trabeati, (Tac. Ann. 3, 2. Suet. Domit. 14. Macrob. Sat. 1, 5. Sidon. Ep. 8, 6. cf. Statium Sylv. 5, 2, 15.

non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo.)

egregie docuit Lips. ad Tac. l. l. qui hanc equitum vestem a trabibus purpurae intextis dictam esse putat, et recte nihil moratur Grammaticorum inventa, qui diversa trabearum genera faciunt. Quorum princeps Sue-

Martis [37]) extra urbem sito, tum per forum in Capitolium transeuntes, praetergressi aedem Castoris et Pollucis, interdum numero quinquies mille homines, hastas militares,[38]) et si qua alia praemia militaria acceperunt, ferentes; egregium, ut ait Dionysius, haec, ut ipse vidit, describens, et dignum imperii amplitudine spectaculum.

3. Plinius eo loco, quem saepe laudavi, „a Ciceronis inde tempore, inquit, plane hoc tertium corpus in republica factum est, coepitque adiici senatui populoque Romano et equester ordo". Qui locus quaedam prorsus falsa continet [39]) alia, quae in errorem ducere legentes facile possint. Neque enim, ut senatus in curia, populus in concione, sic ordo equester conveniendi deliberandique inter se aut ius aut locum habebat; si quid decrevisse dicitur, id aut per societates,[40]) aut tacito consensu,[41]) aut turbulentis concursibus factum. [42]) Ad haec igitur huiusque similia, scriptorumque consuetudinem, tres illos ordines commemorantium, Plinii locus spectat, cum corporis nomine non omnes equites, sed ii tantum, qui equum p. habebant, contineantur. Hoc enim est, quod dicitur a Graecis *τὸ τέλος τῶν ἱππέων, τὸ τάγμα ἱππικόν,* [43]) numero ab initio propter aes equestre certo, Augusti tempore, si fides Dionysio, quinque millia non excedente; a Romanis autem, quia omnes in turmis iuniores erant, iuventus, vel iuventus equestris ordinis. [44]) Quomodo enim acciderit, ut equites, qui essent in XVIII centuriis, sive, quod idem est, qui equum publicum haberent, emeritis decem stipendiis anno quadragesimo quarto equum publicum redderent, supra de-

---

tonius est in libro de genere vestium ap. Serv. ad Aen. 7, 612, qui dicit, tria esse genera trabearum, unum diis sacratum, quod est tantum de purpura; aliud regum, quod est purpureum, habet tamen album aliquid; tertium augurale de purpura et cocco mixtum. cf. Serv. ad Aen. 7, 188. „trabea toga est augurum de cocco et purpura". ib. 190. „Ancile et trabea communia sunt cum Diali et Martiali sacerdote". id. 11, 334. „Romanorum imperatorum insigne fuit sella curulis et trabea". Has grammaticorum sententias composuit et explicavit Scalig. ad Festum s. v. Trossuli Vol. 2 p. 740 Lind. Hoc verum est, trabeam ad reges patriciosque sacerdotes olim pertinuisse, (v. lib. I c. 2. n. 23. adde Isidor. Origg. 19, 24, 8 p. 604 Lind.) a quibus quomodo ad equites pervenerit, supra (l. l.) declaravi.

37) Honoris, ut vult Aur. Vict. 32.

38) de hastis donativis v. Suet. Claud. 28. Domit. 14. Festus s. v. Optionatus p. 195 Lind.: Cato in ea (oratione), quam habuit apud equites: „Maiores seorsum atque diversum pretium paravere bonis atque strenuis, decurionatus, optionatus, hastas donaticas, aliosque honores". cf. huius cap. §. 5.

39) v. p. 26 n. 27.

40) Cic. pr. Sext. 14, 32. „Nulla Romae erat societas vectigalium, nullum collegium, quod tum non honorificentissime decrevisset de mea salute". in Vatin. 3. „Omnia illa SCta, populi iussa, Italiae totius, cunctarum societatum, collegiorum omnium decreta de me reipublicae caussa facta esse fateamur. pr. domo 56, 142. pr. Muraen. 33, 69. „Quid, si omnes societates venerunt, quarum ex numero multi hic sedent iudices". In transitu adiiciam, etiam aliorum collegiorum socios equites fuisse, ut M. Furium Flaccum, equitem R., hominem nequam, Capitolini (cf. Liv. 5, 50) et Mercuriales (erat hoc mercatorum collegium. Liv. 2, 21, 27. Orell. inscr. n. 2381. 2382. 2467. 134. 3858. 2420. 2421) de collegio eiecerunt. Cic. ad Q. fr. 2, 5.

41) Liv. 26, 36 de collatione quadam: Aurum — in publicum conferamus, ita ut anulos sibi quisque et coniugi et liberis, et filio bullam relinquat — ut voluntaria collatio et certamen adiuvandae reipublicae excitet ad aemulandum animos primum equestris ordinis, dein reliquae plebis. — Hunc consensum senatus equester ordo est secutus, equestris ordinis plebes. cf. Vell. 2, 111, 1.

42) v. l. II. c. 3 not. 63.

43) cf. l. IV c. 3, 2. Dio 42, 51. *τοὺς δὲ ἱππέας τοῦ τέλους τούς τε ἑκατοντάρχους·* ad quem l. errat Sturtzius. Meliora habet Reisk. ad eundem 56, 42. cf. 59, 9. *τοῦ δὲ τέλους τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος.* 61, 9. *ἱππεῖς ἐκ τοῦ τέλους τριάκοντα.* 63, 13. *λέγεται, ὅτι καὶ οἱ ἱππεῖς οἱ ἐκ τοῦ τέλους ἐπὶ αὐτοῦ ἐφιππίοις ἐν τῇ ἐτησίᾳ σφῶν ἐξετάσει ἐχρήσαντο.*

44) Interdum etiam ordinis equestris nomine equites eq. p. soli appellantur. V. lib. IV c. 3 §. 2.

tum fieri potuit, equites R. eq. p. recuperarent, ceterisque honore atque dignitate praecellerent. Eodem consilio transvectionis morem reduxit. [24])

2. Bis enim urbem spectaculo sui equestris ordinis iuventutem omnibus annis celebrasse, Lupercalibus atque Idibus Iuliis, Valerius Maximus auctor est. [25]) Ac de illis quidem nihil praeterea traditum inveni, nisi forte iuvenes illi, qui Lupercalibus in Lupercali in Panos honorem sacra faciebant, [26]) equites erant, aut sacra illa, quae ad Celeres olim pertinuisse Dionysius scribit, [27]) cum his coniuncta fuerunt. [28]) Idibus Iulius solemnia Castorum celebrabantur, eodemque die et aedes Castoris, a. 496 a. Chr. dedicata, [29]) quam Latino bello dictator Posthumius voverat, et transvectio primum acta, sive illa ab eodem dictatore, quae Dionysii est sententia, post pugnam ad Regillum, [30]) sive, ut Livius ait, a Q. Fabio Maximo a. 305 a. Chr. instituta est. [31]) Idibus igitur Quintilibus, peractis magnificis in aede Castorum per primores equitum sacrificiis, pompam ducebant equites equo publico; [32]) divisi in sex turmas, seviris equitum Romanorum ducibus, [33]) suo quisque ordine, quasi e pugna redirent, [34]) coronati fronde oleagina, [35]) trabeis induti, [36]) initium pompae facientes a quodam templo

---

[24]) Suet. Oct. 38.

[25]) 2, 2, 9.

[26]) Varro de L. L. 4, 13. 5, 3.

[27]) 2, 64 p. 372 R. *τὴν δὲ τρίτην (τῶν ἱερουργιῶν) διάταξιν ἀπέδωκε τοῖς ἡγεμόσι τῶν κελερίων — καὶ γὰρ οὗτοι τεταγμένας τινὰς ἱερουργίας ἐπιτέλουν.*

[28]) Nescio an antiquis temporibus Neptuni Equestris (cf. Liv. 1, 9. Diodor. 5, 69) cultus ad equites pertinuerit. Fortunae equestri a. 22 p. Chr. pro valitudine Augustae Equites Romani donum vovent. Tac. Ann. 3, 71. et de fortuna Equestri interpp. ad h. l.

[29]) Liv. 2, 42.

[30]) Dionys. 6, 13 p. 1068 R. quem in descriptione transvectionis secutus sum, quibusdam aliunde additis.

[31]) Liv. 9, 46. Valer. Max. 2, 2, 9. Aur. Vict. 32.

[32]) Inde formula equo publico transvectus est. Orell. Inscr. n. 3052. Ulpian Dig. 2 tit. 4 de in ius voc. „In ius vocari non oportet — — eum, qui equo publico in causa publica (l. in Capitolium cf. Cuiac. Obss. 13, 29) transvehatur". cf. Suet. Oct. 38. „Neque detrahi quemquam in transvehendo ab accusatore passus est".

[33]) Dionysii verba sunt *κατὰ φυλάς τε καὶ λόχους κεκοσμημένοι,* quae Reiskius interpretatur tributim et centuriatim distincti. Sed quamquam ap. Dionys. 4, 18 p. 681 R. *ὀκτωκαίδεκα λόχοι* sunt XVIII centuriae, turmatim autem aliis locis vertit *κατὰ τέλη,* (v. 4, 22, p. 690. 5, 46, p. 951 R.) tamen et notum est turmatim in transvectione equites incessisse, (v. Tac. Ann. 2, 83. Varro de L. L. 5, 93 Speng. Paulli exc. p. 153 Lind. Festus p. 270 Lind. Statius 5, 2, 18 et alii multi) et idem Dionys. 7, 72 p. 1485 R. *ἱππεῖς μὲν,* inquit, *κατ' ἴλας τε καὶ κατὰ λόχους, πεζοὶ δὲ κατὰ συμμορίας τε καὶ τάξεις.* Nihil aliud autem esse *φυλὴν* atque *ἴλην* i. e. turmam, ostendit, ne alios afferam, *ἴλαρχος φυλῆς* i. e. sevir turmarum eqq. R. ap. Zonaram 10, 35 p. 407 B. ed. Venet. *λόχοι* decuriae sunt. Sed turmas sevirosque equitum Romanorum fuisse, ex inscriptionibus solis colligitur, in quibus sunt VI vir Eq. R. tur. II. Orell. n. 3044. sevir turmae secundae Orell. n. 3046. VI vir equitum Roman. turm. quint. Grut. p. 393, 6. 1093, 7. sevir turmar. eq. Rom. Grut. p. 436, 7. sevir equitum Rom. Grut. p. 1101, 8. 1102, 3. cf. Marini Atti I p. 146. 2, p. 755. ab iisque ludi sevirales celebrabantur. Capitol. v. M. Ant. philos. 6. Etiam Plinius secundus sevir equitum fuit. v. inscr. Mediolanensem ap. Orell. n. 1172.

[34]) Zosimus 2, 29. *τῆς δὲ πατρίου καταλαβούσης ἑορτῆς, καθ' ἣν ἀνάγκη ἦν τὸ στρατόπεδον* (intelligit turmas eqq.) *ἀνιέναι εἰς τὸ Καπιτώλιον κ. τ. λ.*

[35]) Plin. H. N. 15, 5.

[36]) De trabea copiosius quam dilucidius contra Rubenium de lato clavo 1, 5. disputat Ferrarius in anall. de re vest. p. 14 sqq. p. 144. p. 150. Hanc ad equites eq. p. proprie pertinere, qui ideo dicuntur agmina trabeata, (Stat. Sylv. 4, 2, 32) Equites trabeati, (Tac. Ann. 3, 2. Suet. Domit. 14. Macrob. Sat. 1, 5. Sidon. Ep. 8, 6. cf. Statium Sylv. 5, 2, 15.

non sanguine cretus
Turmali, trabeaque Remi, nec paupere clavo.)

egregie docuit Lips. ad Tac. l. l. qui hanc equitum vestem a trabibus purpurae intextis dictam esse putat, et recte nihil moratur Grammaticorum inventa, qui diversa trabearum genera faciunt. Quorum princeps Sue-

Martis [37]) extra urbem sito, tum per forum in Capitolium transeuntes, praetergressi aedem Castoris et Pollucis, interdum numero quinquies mille homines, hastas militares,[38]) et si qua alia praemia militaria acceperunt, ferentes; egregium, ut ait Dionysius, haec, ut ipse vidit, describens, et dignum imperii amplitudine spectaculum.

3. Plinius eo loco, quem saepe laudavi, „a Ciceronis inde tempore, inquit, plane hoc tertium corpus in republica factum est, coepitque adiici senatui populoque Romano et equester ordo“. Qui locus quaedam prorsus falsa continet [39]) alia, quae in errorem ducere legentes facile possint. Neque enim, ut senatus in curia, populus in concione, sic ordo equester conveniendi deliberandique inter se aut ius aut locum habebat; si quid decrevisse dicitur, id aut per societates,[40]) aut tacito consensu,[41]) aut turbulentis concursibus factum. [42]) Ad haec igitur huiusque similia, scriptorumque consuetudinem, tres illos ordines commemorantium, Plinii locus spectat, cum corporis nomine non omnes equites, sed ii tantum, qui equum p. habebant, contineantur. Hoc enim est, quod dicitur a Graecis *τὸ τέλος τῶν ἱππέων, τὸ τάγμα ἱππικὸν,* [43]) numero ab initio propter aes equestre certo, Augusti tempore, si fides Dionysio, quinque millia non excedente; a Romanis autem, quia omnes in turmis iuniores erant, iuventus, vel iuventus equestris ordinis. [44]) Quomodo enim acciderit, ut equites, qui essent in XVIII centuriis, sive, quod idem est, qui equum publicum haberent, emeritis decem stipendiis anno quadragesimo quarto equum publicum redderent, supra de-

---

tonius est in libro de genere vestium ap. Serv. ad Aen. 7, 612, qui dicit, tria esse genera trabearum, unum diis sacratum, quod est tantum de purpura; aliud regum, quod est purpureum, habet tamen album aliquid; tertium augurale de purpura et cocco mixtum. cf. Serv. ad Aen. 7, 188. „trabea toga est augurum de cocco et purpura“. ib. 190. „Ancile et trabea communia sunt cum Diali et Martiali sacerdote“. id. 11, 334. „Romanorum imperatorum insigne fuit sella curulis et trabea“. Has grammaticorum sententias composuit et explicavit Scalig. ad Festum s. v. Trossuli Vol. 2 p. 740 Lind. Hoc verum est, trabeam ad reges patriciosque sacerdotes olim pertinuisse, (v. lib. I c. 2. n. 23. adde Isidor. Origg. 19, 24, 8 p. 604 Lind.) a quibus quomodo ad equites pervenerit, supra (l. l.) declaravi.

37) Honoris, ut vult Aur. Vict. 32.

38) de hastis donativis v. Suet. Claud. 28. Domit. 14. Festus s. v. Optionatus p. 195 Lind.: Cato in ea (oratione), quam habuit apud equites: „Maiores seorsum atque diversum pretium paravere bonis atque strenuis, decurionatus, optionatus, hastas donaticas, aliosque honores“. cf. huius cap. §. 5.

39) v. p. 26 n. 27.

40) Cic. pr. Sext. 14, 32. „Nulla Romae erat societas vectigalium, nullum collegium, quod tum non honorificentissime decrevisset de mea salute“. in Vatin. 3. „Omnia illa SCta, populi iussa, Italiae totius, cunctarum societatum, collegiorum omnium decreta de me reipublicae caussa facta esse fateamur. pr. domo 56, 142. pr. Muraen. 33, 69. „Quid, si omnes societates venerunt, quarum ex numero multi hic sedent iudices“. In transitu adiiciam, etiam aliorum collegiorum socios equites fuisse, ut M. Furium Flaccum, equitem R., hominem nequam, Capitolini (cf. Liv. 5, 50) et Mercuriales (erat hoc mercatorum collegium. Liv. 2, 21, 27. Orell. inscr. n. 2381. 2382. 2467. 134. 3858. 2420. 2421) de collegio eiecerunt. Cic. ad Q. fr. 2, 5.

41) Liv. 26, 36 de collatione quadam: Aurum — in publicum conferamus, ita ut anulos sibi quisque et coniugi et liberis, et filio bullam relinquat — ut voluntaria collatio et certamen adiuvandae reipublicae excitet ad aemulandum animos primum equestris ordinis, dein reliquae plebis. — Hunc consensum senatus equester ordo est secutus, equestris ordinis plebes. cf. Vell. 2, 111, 1.

42) v. l. II. c. 3 not. 63.

43) cf. l. IV c. 3, 2. Dio 42, 51. *τοὺς δὲ ἱππέας τοῦ τέλους τούς τε ἑκατοντάρχους·* ad quem l. errat Sturtzius. Meliora habet Reisk. ad eundem 56, 42. cf. 59, 9. *τοῦ δὲ τέλους τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος.* 61, 9. *ἱππεῖς ἐκ τοῦ τέλους τριάκοντα.* 63, 13. *λέγεται, ὅτι καὶ οἱ ἱππεῖς οἱ ἐκ τοῦ τέλους ἐπὶ αὐτοῦ ἐφιππίοις ἐν τῇ ἐτησίᾳ σφῶν ἐξετάσει ἐχρήσαντο.*

44) Interdum etiam ordinis equestris nomine equites eq. p. soli appellantur. V. lib. IV c. 3 §. 2.

monstravi.[45]) Rem ipsam et Valerius Maximus,[46]) et comparatio scriptorum utriusque linguae,[47]) et Q. Cicero ostendit de petit. Cons. 8, 33. „Iam equitum centuriae multo facilius diligentia posse teneri videntur. Primum cognoscendi sunt equites, pauci enim sunt: deinde adipiscendi: multo enim facilius ista adolescentulorum ad amicitiam aetas adiungitur. Deinde habebis tecum ex iuventute optimum quemque et studiosissimum humanitatis. Tum autem, quod equester ordo tuus est, (intelligit publicanos, qui non erant in centuriis) sequentur illi (i. e. adolescentes, qui sunt in XVIII centuriis) auctoritatem ordinis, si abs te adhibebitur ea diligentia, ut non ordinis solum voluntate, sed etiam singulorum amicitiis eas centurias confirmatas habeas. Iam studia adolescentulorum in suffragando, in obeundo, in nuntiando, in assectando mirifice et magna et honesta sunt“. Quod secundo loco dicit, ab adolescentibus ipsis adolescentium centurias facile conciliari, eius exemplum est apud Cic. pr. Mur. 35, 73. „Non igitur si L. Natta (dederat hic epulum XVIII centuriis), summo loco adolescens, qui et quo animo iam sit, et qualis vir futurus sit, videmus, in equitum centuriis voluit esse et ad hoc officium necessitudinis et ad reliquum tempus gratiosus, id erit eius vitrico fraudi aut crimini“. Et alio loco, tanquam non magni res negotii esset, hos iuvenes sibi conciliare, „Nunc“ inquit, „si me tanti facis, quanti certe facis, quoniam equitum centurias tenes, in quibus regnas, mitte ad Lupum nostrum, ut is nobis eas centurias conficiat.[48]) Hos igitur iuvenes Antiochus Epiphanes intelligit ap. Livium 42, 6, qui dicit, ea merita in se senatus fuisse, quum Romae esset, eam comitatem iuventutis, ut pro rege, non pro obside omnibus ordinibus fuerit: hos Pompeius ap. Cic. ad Q. fratr. 2, 3, 4, quum dicat, vehementer esse providendum, ne opprimatur concionario illo populo a se prope alienato, nobilitate inimica, non aequo senatu, iuventute improba: hi ceterorum ordinis equestris iuniorum auctores atque signiferi consiliorum factorumque fuerunt omnium, ut, etiamsi quidam loci sunt, in quibus adolescentes omnes equestris loci intelligendi videntur, tamen hi capita eorum ducesque fuisse putandi sint. Hi igitur principes inter adolescentes eos fuerunt, qui Catilinae tempore cum gladiis in clivo Capitolino convenerunt,[49]) hi illi honestissimi adolescentes, equites Romani, qui a. 58 de salute Ciceronis honorificentissime decreverunt, cum ceteri per societates decreta facerent. [50])

---

45) v. p. 23 sq.

46) Val. M. 2, 2, 9. „Equestris vero ordinis iuventus omnibus annis bis urbem spectaculo sui celebrabat“, qui quoniam de transvectione dicit, aperte intelligit equos eq. p.

47) Auctor consol. ad Liv. 207. 460. iuventutem decurrentem in funere Drusi appellat, quos in descriptione eiusdem funeris Dio 55, 2. *τοὺς ἱππέας ἐς τὴν ἱππάδα ἀκριβῶς τελοῦντας καὶ τοὺς ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ γένους ὄντας.* Locos exscripsi paullo infra.

48) Cic. ad fam. 11, 16. cf. Madv. opusc. p. 85.

49) Cic. pr. Sext. 12, 27. Plut. Cic. 14. *καὶ τεθωρακισμένον αὐτὸν* (Ciceronem) *οἵ τε δυνατοὶ πάντες ἀπὸ της οἰκίας καὶ τῶν νέων πολλοὶ κατήγαγον εἰς τὸ πεδίον.*

50) v. l. II c. 3 not. 63.

Duos tantum contra hanc sententiam afferri locos video, alterum Suetonii, alterum Taciti. Atque ille quidem,[51]) commemorans recognitionem equitum per Augustum institutam, quum nonnullos fuisse dicat aut senio aut aliqua corporis labe insignes, et ipse senium tribuit intermissae diu recognitioni; et adiecta de labe corporis nonnullorum mentione testatur, non minus hoc, quam illud contra morem legemque fuisse. Quod autem dicit Augustum XXXV annos natis[52]) equi gratiam fecisse, ni fallor, quia multorum bellis civilibus patrimonium attritum erat, id ipsum probat, antea usque ad quadragesimum quintum annum eos equos retinuisse, quum alioquin iam magnum quid iis gratificaturus fuisset, si XLV annos natis reddendi equum veniam dedisset. Taciti autem locus est Ann. 2, 83. Equester ordo cuneum Germanici appellavit, qui iuniorum dicebatur, instituitque, uti turmae Idibus Iuliis imaginem eius sequerentur. Quem locum, tacentibus interpretibus, summi viri, Spanhemius,[53]) Norisius,[54]) Morcellius,[55]) collatis quibusdam locis aut corruptis aut non recte intellectis,[56]) ita explicuerunt, ut totum equitatum in duos cuneos, alterum seniorum, alterum iuniorum, utrumque autem cuneum in ternas turmas divisum fuisse putarent. Sed ne commemorem, cuneum certam aciei formam esse, ad impetum faciendum comparatam, eamque non equitum, verum peditum;[57]) si ea Taciti esset sententia, dicere debuisset turmae iuniorum vel hae turmae, cum, ut nunc scriptum est, de omnibus turmis, quae, si recte supra disputavi, iuniorum omnes erant, loquatur. Idque dici necesse erat, quia Germanicus, defunctis C et L Caesaribus, princeps erat factus iuventutis,[58]) quem ut vivum in transcursu solemni turmae omnes ducem secutae erant,[59]) sic mortui imaginem universae sequebantur.

---

[51]) Suet. Oct. 38.

[52]) Mox reddendi equi gratiam facit eis, qui maiores annorum quinque et triginta (sic Cdd. optimi, quum alii XLV habeant) retinere eum nollent. Numerum confirmat Dionis de senatoribus locus 54, 26. *τότε δὲ* (a. 13 a. Chr.) *αὐτὸς πάντας αὐτοὺς* (senatores) *ἐξήτασε· καὶ τὰ μὲν τῶν ὑπὲρ πέντε καὶ τριάκοντα ἔτη γεγονότων οὐκ ἐπολυπραγμόνησε, τοὺς δὲ ἐντός τε τῆς ἡλικίας ταύτης ὄντας, καὶ τὸ τίμημα ἔχοντας βουλεῦσαι κατηνάγκασε, χωρὶς ἢ εἴ τις ἀνάπηρος ἦν.* Etiam in aliis usitatum annorum numerum minuit. Suet. Oct. 32. Iudices a vicesimo aetatis anno allegit, id est, quinquennium maturius quam solebant. Plin. epist. 10, 83. Secutum est dein edictum Divi Augusti, quo permisit minores magistratus ab annis duobus et viginti capere.

[53]) de Pr. et U. N. diss. 12. Vol. II p. 363 ed. fol. sec.

[54]) Cenot. Pis. diss. 2, c. 3. (Nor. opp. ed. Veron. 1729 Vol. III p. 171.)

[55]) de stilo inscr. lat. ed. Patav. 1818 Vol. I p. 377.

[56]) Apud Lampridium enim v. Commod. 1, 2. quum legendum sit e Salmasii coni., quam recte sequuntur Casaub. h. l. et Lips. Elect. 2, 1. Cooptatus inter trossulos princeps iuventutis, quum togam sumpsit, in quo trossuli pro equitibus dicti sunt, (v. c. 2, 2 not. 43) librarii, in verbo minus usitato offendentes, scripserunt cooptatus inter tres solos principes iuventutis, quod quum nemo intelligeret, nulla usquam trium principum iuventutis mentione facta, incredibile est, quales de his viri doctissimi coniecturas protulerint. Intelligunt enim seviros trium, quas putant fuisse, turmarum iuniorum tres principes iuventutis, securi de tribus reliquis, quos principes seniorum inaudito nomine appellari necesse esset. Nam seviros iuniores et seniores, quos in inscriptionibus inventos Casaubonus ad Capitol. M. Ant. ph. 6 ad equites pertinere arbitratus est, seviros Augustales esse, ipse Norisius viderat. Ex nummo autem Getae ap. Vaill. 2 p. 261, quem afferunt, huius sententiae, hoc loco remoto, argumentum peti nequire apertum est.

[57]) Equitum cunei ad extrema imperatorum tempora pertinere videntur. v. Gothofr. ad Cod. Theod. Vol. II p. 254.

[58]) Ovid. ep. ex Ponto 2, 5, 41.

[59]) de hoc v. §. 5 not. 104 — 106.

Quae cum ita sint, in Taciti loco theatri cuneus intelligendus est; is enim unus locus erat, quo equester ordo cunctus conveniret; discimusque ex hoc loco, XIV ordines in seniorum iuniorumque cuneos distinctos fuisse. [60])

4. Itaque ut eo, unde profectus sum, redeam, sive quid publice gestum seu rite peractum ab equitibus legimus, id ad hoc corpus equitum eq. p. non ad ordinem equestrem totum referendum esse videtur; eamque cerimoniarum quarundam publicarum curam ita Augustus sustinuit, ut et veteribus ritibus restitutis et novis quibusdam ad principum cultum pertinentibus introductis et principatus splendorem magnificentiamque aulae augeret, et equites honoris cuiusdam praecipui specie officiis domus Augustae assuefaceret. Epulum liberae reipublicae tempore centuriis equitum ab iis dari solebat, qui gratiam earum conciliare sibi vellent. [61]) Mansit is mos sub imperatoribus, ut nemo praeter equites eq. p. iis epulis interesset. [62]) Convenerant inter se equites eq. p. ut communi consilio aut statuam ponendam [63]) aut legationem mittendam [64]) decernerent: ab iisdem Augusto Seianoque statuae positae, [65]) legationesque ad imperatores missae. Ita Claudium, teste Suetonio, [66]) equester ordo (intelligit equos equo p.) [67]) patronum perferendae pro se legationis elegit: semel, quum deportandum Romam corpus Augusti humeris suis a consulibus exposcerent, iterum, quum oppressum Seianum apud eosdem gratularentur, tertium, ut Dio addit, Caio principatum ingresso. [68])

Antiquis temporibus tradunt Brutum, cum contra Aruntem Tarquinium cecidisset, sublatum a fortissimis equitibus Romam portatum esse. [69]) Et Sullae funus, aut metu militum aut ipsorum studio ducti, [70]) cum sacerdotibus senatuque equites se-

---

60) Simili modo Caianum is locus appellatus est, in quo factio prasina aurigationem exercebat. Dio 59, 14. De cuneis v. Suet. Dom. 4: „die proxima omne genus rerum missilia sparsit: et quia pars maior intra popularia deciderat, quinquagenas tesseras in singulos cuneos equestris ac senatorii ordinis pronuntiavit“.

61) Cic. pr. Mur. 35, 73. Drum. R. G. 4, 191.

62) Ut aliqua de multis afferam, de Tiberio v. Dio 57, 12. de Calig. Dio 59, 11. de Claudio Dio 60, 7. de Domitiano Dio 67, 9. Martial. 8, 50. Equites eq. p. his solos interfuisse testatur Stat. Sylv. 4, 2, 32.

Hic cum Romuleos proceres, trabeataque Caesar
Agmina mille simul iussit discumbere mensis.

63) Cic. Phil. 6, 5. Sed haec una statua. Altera ab equitibus equo publico, qui item adscribunt patrono.

64) Cic. pr. Sest. 12, 27. Dio 38, 16 de anno 58. *πρὸς γὰρ δὴ τοῖς εἰρημένοις οἵ τε ἱππεῖς συνελθόντες ἐς τὸ Καπετώλιον πρέσβεις ὑπὲρ αὐτοῦ πρός τε τοὺς ὑπάτους καὶ τὴν γερουσίαν — ἔπεμψαν.*

65) De Aug. cf. nummum ap. Eckhel D. N. VI p. 126 a. Augustus sedens. CONSENSV SENAT. ET. EQ. ORDIN. P. Q. R. ubi tamen universus ordo pecuniam contulisse videtur. cf. h. cap. §. 3. n. 41. de Seiano Dio 58, 2. *τὸ πλῆθος τῶν ἀνδριάντων, ὧν ἥ τε βουλὴ καὶ ἡ ἱππὰς αἵ τε φυλαὶ καὶ οἱ ἄνδρες οἱ πρῶτοι ἔστησαν αὐτοῦ, οὐδὲ ἐξηρίθμησεν ἄν τις.*

66) Claud. 6.

67) Nam quod statim commemoratur, deportandi corporis munus ad hoc solos pertinebat. cf. p. 73.

68) Dio 59, 6. Aliud exemplum v. ap. eund. 58, 2. *πρέσβεις τε ἰδίᾳ μὲν ἡ γερουσία, ἰδίᾳ δὲ οἱ ἱππεῖς τό τε πλῆθος ἔκ τε τῶν δημάρχων — πρὸς ἀμφοτέρους αὐτοὺς* (Seianum et Tiberium) *ἔπεμπον.* Legatio item missa videtur ad Augustum, quum pater patriae appellatus esset. Ovid. Fast. 2, 127. et quum C. Caesarem, principem iuventutis appellatum parmis et hastis puris argenteis equites donarent. v. Marm. Anc. tab. 3 a laeva.

69) Dionys. H. 5, 17. p. 884 R.

70) Erant enim tum in centuriis etiam nobilium filii. v. p. 21. 22. 27.

quebantur, acclamantes subinde et circa rogum decurrentes.[71]) Quod raro antea factum — neque enim tertium exemplum reperi — ab Augusto inde in consuetudinem venit.[72]) Nam Drusi corpus a. 9 a. Chr. in campum Martium portatum est ab omni iuventute:[73]) Augustum mortuum a Bovillis equester ordo[74]) suscepit, urbique intulit, atque in vestibulo domus collocavit. In campo Martio autem imposito in rogum corpore cum ceteris et equitibus et militibus equites eq. p. decurrerunt:[75]) reliquias legerunt primores equitum tunicati et discincti pedibusque nudis, et in Mausoleo condiderunt.[76]) Caligula matris fratrisque Neronis cineres Pandataria Pontiisque Romam translatos per splendidissimum quemque equestris ordinis medio ac frequente die duobus ferculis Mausoleo intulit.[77]) In Drusillae funere equites eq. p. decurrerunt,[87]) eorundemque magnae partes in Pertinacis Septimiique Severi funeribus fuere, quorum illud a Dione,[79]) hoc ab Herodiano[80]) copiose describitur. Ad haec accesserunt sub imperatoribus solemnia natalium principis,[81]) votorum nuncupationes pro salute, pro valetudine, pro reditu imperatoris,[82]) salutationes,[83]) comitatus,[84]) obviam itiones,[85]) quae omnia initio decori fuerunt equitibus, postea in deterius vertebantur.[86])

---

71) App. B. C. 1, 106. *κόσμῳ δ' ἄλλῳ τὸ τῶν καλουμένων ἱππέων πλῆθος εἵπετο — βοῇ δ' ἐπευφήμουν ἥ τε βουλὴ πρώτη καὶ οἱ ἱππεῖς ἐν μέρει — καὶ τὸ πῦρ οἵ τε ἱππεῖς καὶ ἡ στρατιὰ περιέδραμον.*

72) Hoc funerum rite celebrandorum munus ad solos eqq. eq. p. pertinuisse, ex quibusdam eorum, qui infra laudati sunt, locorum apparebit, a quibus ad alios, ubi minus accurate de equestri ordine s. de equitibus dicitur, coniectura facienda est.

73) Dio 55, 2. *ὑπὸ τῶν ἱππέων, τῶν τε ἐς τὴν ἱππάδα ἀκριβῶς τελούντων* (i. e. ab eqq. eq. p.) *καὶ τῶν ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ γένους ὄντων.* (i. e. ab equitibus illustribus) cf. Consol. ad Liviam. 203.

Funeris exsequiis adsumus omnis eques.
207. Certat onus lecti generosa subire iuventus,
Et studet officio sedula colla dare.
460. Et sensi —
Decursusque virum notos mihi —
Et quo me officio portaverit illa iuventus,
Quae fuit ante meum tam generosa torum.

74) cf. not. 67.

75) Dio 56, 42. *παρῆν δὲ καὶ συνεξέφερεν αὐτὸν ἥ τε γερουσία καὶ ἡ ἱππάς· — ἐπεὶ δὲ ἐς τὴν πυρὰν τὴν ἐν τῷ Ἀρείῳ πεδίῳ ἐνετέθη, πρῶτοι μὲν ἱερεῖς πάντες περιῆλθον αὐτὴν, ἔπειτα δὲ οἵ τε ἱππεῖς οἵ τε ἐκ τοῦ τέλους καὶ οἱ ἄλλοι, καὶ τὸ ὁπλιτικὸν τὸ φρουρικὸν περιέδραμον. — Πραχθέντων δὲ τούτων οἱ μὲν ἄλλοι ἀπαλλάγησαν· ἡ δὲ δὴ Λιουΐα κατὰ χώραν πέντε ἡμέραις μετὰ τῶν πρώτων ἱππέων μείνασα, τά τε ὀστᾶ αὐτοῦ συνελέξατο, καὶ ἐς τὸ μνημεῖον κατέθετο.*

76) Suet. Oct. 100.

77) Suet. Calig. 15.

78) Dio 59, 11. *δημοσίας δὲ ταφῆς ὁ ἀδελφός ἠξίωσε· καὶ οἵ τε δορυφόροι μετὰ τοῦ ἄρχοντος σφῶν, καὶ χωρὶς οἱ ἱππεῖς τοῦ τέλους, οἵ τε εὐγενεῖς παῖδες τὴν Τροίαν περὶ τὸν τάφον αὐτῆς περιΐππευσαν.*

79) 74, 5. (*τὴν κλίνην*) *ἱππεῦσί τισι φέρειν ἔδοσαν· — οἱ δὲ ἄρχοντες, καὶ ἡ ἱππὰς τὸ τέλος, προσφόρως σφίσιν ἐσκευασμένοι, οἵ τε ἱππεῖς οἱ στρατιῶται καὶ οἱ πεζοὶ περὶ τὴν πυρὰν πολιτικάς τε ἅμα καὶ πολεμικὰς διεξόδους διελίττοντες διεξῆλθον.*

80) Herodian. 4, 2. *Ἔθος γάρ ἐστι Ῥωμαίοις, ἐκθειάζειν βασιλέων τοὺς ἐπὶ διαδόχοις παισὶ τελευτήσαντας· τήν τε τοιαύτην τελευτὴν ἀποθέωσιν καλοῦσι· — τὸ μὲν γὰρ σῶμα τοῦ τελευτήσαντος πολυτελεῖ κηδείᾳ καταθάπτουσιν ἀνθρώπων νόμῳ· κηροῦ δὲ πλασάμενοι εἰκόνα — προτιθέασιν ἐν τῇ τῶν βασιλείων ἐξόδῳ· — ἡ δ' εἰκὼν ἐκείνη ἐν σχήματι νοσοῦντος πρόκειται ὠχριῶσα· — ἐπὴν δὲ δόξῃ τετελευτηκέναι, τὴν μὲν κλίνην ἀράμενοι τοῦ τε ἱππικοῦ τάγματος εὐγενέστατοι καὶ τῆς Συγκλήτου ἐπίλεκτοι νεανίαι κατακομίζουσι διὰ τῆς ἱερᾶς ὁδοῦ, εἴς τε τὴν ἀρχαίαν ἀγορὰν προτιθέασιν, ἔνθα οἱ Ῥωμαίων ἄρχοντες ἀπόμνυνται· — μετὰ δὲ τοῦτο βαστάσαντες τὴν κλίνην, φέρουσιν ἔξω τῆς πόλεως εἰς τὸ καλούμενον Ἄρεως πεδίον, ἔνθα κατεσκεύασται — τετράγωνόν τι καὶ ἰσόπλευρον — εἰς σχῆμα οἰκήματος· — ἐπὰν δὲ μέγιστον χῶμα ἀρθῇ τῶν ἀρωμάτων, ἱππασία περὶ τὸ κατασκεύασμα ἐκεῖνο γίγνεται· πᾶν τε τὸ ἱππικὸν τάγμα περιθεῖ κύκλῳ μετά τινος εὐταξίας καὶ ἀνακυκλώσεως, πυῤῥιχίῳ δρόμῳ καὶ ῥυθμῷ.*

81) Suet. Oct. 57: Equites Romani natalem eius biduo semper celebrarunt. De ceteris collegiis hunc diem celebrantibus v. Marini Atti 1 p. 81.

82) Nummos votorum ad Augustum pertinentes v. ap. Eckhel. D. N. VI p. 103 sq. Pro salute Augusti ex

5. Summum vero ornamentum et nova cum principe necessitas equitibus equo p. accessit instituto principe iuventutis,[87] quem ad hos solos pertinere non uno veterum testimonio comprobatum est. Augustus ipse in Mon. Anc. tab. III a laev. l. 1. Honoris mei causa, inquit, senatus populusque Romanus annum quintum et decimum agentes consules designavit, ut eum magistratum inirent post quinquennium, et ex eo die, quo deducti sunt in forum, ut interessent consiliis publicis decrevit senatus: equites autem Romani universi principem iuventutis utr(um)qu(e) (eo)rum par(mis) (e)t hastis argenteis donatum appellaverunt.[88] Quocum consentit inscr. ap. Panvinium, a Norisio ita suppleta:

PRINCipem IVVENTVTIS Appellaverunt sc. Equites R.
QVEM COS. POPVLVS CREAVIT
ANN. NAT. XIIII.
ac SENATVS ET POPVLVS ROMANVS
ob HONOREM DOMVS AVGVSTAE KALAtis
comitiis pontificem fecit.

In nummo autem Neronis, alioque, Commodo Caesari dicato, parmae inscriptum legitur EQVESTER ORDO PRINCIPI IVVENTVTIS,[89] idemque in inscriptione statuae ap. Gruterum[90]

NERONI CLAVDIO DRVSO GER. COS. DESIGN.
EQVESTER ORDO PRINCIPI IVVENT.

et in nummis Caius et Lucius, Agrippae filii, conspiciuntur aut stantes, dextra hastam cum clypeo humi attinentes, aut iidem equites citato cursu, cum inscr. C. L. CAESARES

SCto publice privatimque litatum, quotannisque III Non. Ian. vota facta sunt. v. Intpp. ad Tac. Ann. 14, 17. 16, 22. Multos alios laudat Marinius l. l. 1 p. 56. 57 quum v. ipsum. Atque in quibusdam horum votorum S. P. Q. R. nominatur, (v. Grut. p. 58, 1. Foggini fast. Praen. p. 119 b. Orelli inscr. n. 601) et a. 13 a. Chr. ludi votivi pro reditu Augusti ex SCto fiunt. Grut. p. 11, 2. Eckhel. D. N. VI p. 103. Alia vota communi consilio facta sunt. Eckh. l. l. p. 104 a., alia susceperunt equites soli, ut ap. Tac. Ann. 3, 71 donum pro valetudine Augustae Equestri fortunae voverunt, et ap. Martial. in epigr ad Domitianum 8, 15.

Dum nova Pannonici narratur gloria belli,
Omnis et ad reducem dum litat ara Iovem,
Dat populus, dat gratus eques, dat thura senatus.

83) Spart. Did. Iul. 4. Senatum et equestrem ordinem in Palatium venientem admisit.

84) Dio 63, 20 de Nerone: *καὶ οὕτω διά τε τοῦ ἱπποδρόμου καὶ διὰ τῆς ἀγορᾶς μετά τε τῶν στρατιωτῶν καὶ μετὰ τῶν ἱππέων τῆς τε βουλῆς διελθὼν, ἐς τὸ Καπιτώλιον ἀνέβη.* Lampr. Alex. Sev. 57. Post hoc cum ingenti gloria et comitante senatu, equestri ordine atque omni populo Palatium conscendit. Trebell. Poll. Gall. duo 8. Iam primum inter togatos patres, et equestrem ordinem, albatos milites et omni populo praeeunte, servis etiam prope omnium et mulieribus cum cereis et facibus e lampadibus praecedentibus Capitolium petiit.

85) Dio 51, 20. 58, 4.

86) v. praeter ea, quae infra afferentur, Suet. Dom. 14.

87) De princ. iuv. v. Spanhem. de Pr. et U. N. Vol. II p. 359. Noris. Cenot. Pis. II, c. 3. Eckhel D. N. Vol. VIII p. 371 sqq. Mazzolini animadvv. v. de princ. iuv. non vidi.

88) Caius a. 5 a. Chr. hoc nomen accepit. (Noris. l. l.) Lucius secundum Zonaram anno sequente, e Norisii rationibus (diss. 2 c. 7), quas adiuvant marmora (cf. Eckhel. D. N. VI p. 173) a. 2 a. Chr.

89) Eckhel. D. N. VIII p. 377 a.

90) p. 236, 11.

AVGVSTI F. COS. DESIG. PRINC. IVVENT. Neque a ceterorum principum nummis absunt aut eques aut hasta, satis indicantes, ad equos equo p. principem iuventutis pertinere,[91]) ut illud commemorare supervacaneum paene videatur, Dionem, quum et Tiberium, Drusi iunioris filium τῆς νεότητος προκριθέντα appellet,[92]) et Diadumenianum πρόκριτον τῆς νεότητος,[93]) alio loco eodem sensu M. Aurelium, adhuc Caesarem, dicere πρόκριτον τῆς ἱππάδος.[94])

Atque hoc quidem, quod argumentis allatis confirmavi, ex iuventutis nomine solo colligi potuit: quod ex principis nomine de vi et significatione tituli eius coniiciamus, omnino nihil habemus. Nam quod existimare quosdam video, principem iuventutis iam ante haec tempora appellatum eum fuisse, qui in albo equitum equo publico a censore primus esset scriptus, ita ut huic titulo, ut principis senatus, certus honor inesset,[95]) id neque per se est valde probabile, quum plane alia ratio sit horum equitum, militari ordine turmatim seviris ducibus incedentium, senatorumque, in curia sententiam ferentium, et dudum refutatum est certo argumento.[96]) Immo Augustus, ut ipse „cuncta, discordiis civilibus fessa, nomine principis sub imperium accepit", sic subsidia dominationi genitos Agrippa Caium et Lucium, quos in familiam Caesarum induxit, „nondum posita puerili praetexta principes iuventutis appellari, destinari consules specie recusantis flagrantissime cupiverat,"[97]) ab eoque inter ceteros, quos haec aetas tulit, titulos hic est excogitatus, quo, quum ipse mascula prole careret, quem successorem imperii elegisset, ornaret.[98]) Inde est, quod ab Ovidio Caius appellatur nunc iuvenum princeps, deinde future senum.[99]) Et quanquam dubium non est, quin

---

91) Typos v. ap. Eckhel. VIII p. 376. Quid hasta et parma ad equites pertinerent, idem exposuit VI p. 169. cf. supra §. 2 not. 38. Etiam M. Oppio M. F. Vel. Secundioni, equo publico, — — coronam auream, hastam puram donat plebs coloniae Aesis. Doni p. 155 n. 1.

92) Dio 59, 8.

93) id. 78, 17.

94) id. 71, 35.

95) v. ne multos afferam, Graevium ad Cic. pr. Sulla 12. Ern. in clavi s. v. princeps, quos cum plerisque sequitur Muhlert p. 23, qui affert locum Plin. 1, 59, nihil omnino probantem.

96) Cic. pr. Sulla 12. L. Torquatum appellat principem, auctorem, adiutorem, signiferum iuventutis: ad q. l. contra Graevium accurate demonstrat Garatonius, non ideo ita dici Torquatum, quia primus a Censore lectus fuerit. Quippe ad idem tempus pertinere, quod Cic. ad Att. 2, 1 eandem appellationem tribuat Attico, duos autem hoc sensu principes iuventutis esse non potuisse. cf. Lips. de magn. Rom. 4, 2. p. 454 ed. fol. Idem indicandum est de ceteris Ciceronis locis, ut fam. 3, 11 3, ubi Brutus dicitur princeps iam pridem iuventutis, celeriter, ut spero, civitatis. Verr. 2, 1, 52. C. Mustius, adolescens clarissimus et princeps iuventutis. Similiter principes equestris ordinis appellantur Lamia, (Cic. fam. 11, 16) C. Curius, (pr. Rabir. 2) Plancus, (pr. Planco 14) non alio sensu, atque trecenti principes iuventutis Romanae ap. Liv. 2, 12. principes iuventutis Hernicorum ib. 6, 13, 7. principes iuventutis Syracusanorum ib. 26, 30. octoginta principes iuventutis Lacedaemoniorum 34, 27. equites, principes iuventutis ib. 42, 61. quem locum imitatus est Curtius 6, 9. principes plebis Liv. 4, 25. principes civitatis ap. Cic. Phil. 8, 6. 8, 7. 8, 10. 14, 7.

97) Tac. Ann. 1, 3.

98) Suet. Calig. 15. Fratrem Tiberium die virilis togae adoptavit, appellavitque principem iuventutis. In Pisanis tabulis Lucius princeps iuventutis appellatur; Caio in altero cenotaphio non idem titulus defertur, sed conqueruntur Pisani „crudelibus fatis ereptum populo Romano iam designatum iustissimum ac simillimum parenti sui virtutibus principem".

99) Ovid. A. am. 1, 194.

ab hoc inde tempore etiam in censorum tabulis primum inter equites locum tenuerint, [100]) tamen statim ab initio non hoc, sed longe maius quid hoc titulo significatum fuisse inde intelligitur, quod non censoria potestate, ad quam pertinuisset principis lectio, ab Augusto ipso inter equites princeps receptus, sed cooptatus ab equitibus immatura aetate [101]) Caius est, [102]) qui mos etiam postea duravit. [103]) Plane igitur novo honore princeps iuventutis creatus, decreto corporis equitum equo publico, non alio modo, atque Augusti nomen SCto, patris patriae consensu omnium ordinum confirmatum est.

Quoniam vero ad hos equites ceremoniae quaedam pertinuerunt, transvectionum, decursuum in funeribus, et quas alias commemoravi, quaeritur, quae in his principis iuventutis partes fuerint. In qua re memorabile est, quod, quum Dio, ut supra dixi, M. Aurelium, adhuc Caesarem, dicat appellatum fuisse *πρόκριτον τῆς ἱππάδος,* [104]) de eadem re Capitolinus v. M. Ant. ph. c. 6 „Consulem, inquit, secum Pius Marcum designavit, et Caesaris appellatione donavit, et sevirum turmis equitum Romanorum iam consulem designatum creavit, et edenti cum collegis ludos sevirales assedit“. Et non modo Dio l. l. M. Aurelium cum turmis equitum in forum processisse scribit, [105]) sed disertis verbis Zonaras, quem omnes praeterviderunt, etiam Caium, principem iuventutis, sevirum turmarum fuisse retulit. [106]) Ac nescio, an inde videatur explicandum, quod, quum in inscriptionibus sevirorum mentio frequens sit, tamen primae turmae sevir rarissime inveniatur: [107]) nisi forte id casu factum est, quum etiam sextae turmae sevir nusquam commemoretur. Illud contra pro explorato habeo, ad seviralem potestatem principum iuventutis esse referendum, quod, quamdiu successores tantum imperii, iique non nisi iuniores, [108]) principes iuventutis fuere, nummi eorum typos equestres, hastam, clypeum, equitem repraesentent, ad solemnem decursionem equitum pertinentes: postquam autem sibi ipsis

---

[100]) Lips. de magn. Rom. 4, 2 p. 452 ed. fol.

[101]) Non diserte dixi, quod per se intelligitur, equites equo p. militarem aetatem habere debuisse, i. e. duodeviginti annorum. Dio 52, 18. cf. p. 11. 23.

[102]) Marm. Anc. l. l.

[103]) Lampr. Comm. 1, 2. Cooptatus inter trossulos princeps iuventutis est.

[104]) v. not. 94.

[105]) Dio 71, 35. *καὶ πρόκριτος τῆς ἱππάδος ἀποδειχθεὶς ἐςῆλθεν ἐς τὴν ἀγορὰν μετὰ τῶν λοιπῶν* (sc. *ἱππέων*) *καίπερ Καῖσαρ ὤν.*

[106]) Zonar. 10, 35. p. 539 A. Par. p. 407 B. Ven. haud dubie Dionis locum deperditum secutus: *τῷ δ' ἐφεξῆς ἔτει δωδέκατον ὑπατεύων ὁ Αὔγουστος, ἐς τοὺς ἐφήβους τὸν Γαῖον ἔταξε, καὶ ἐς τὸ βουλευτήριον ἅμα ἐσήγαγε, καὶ πρόκριτον ἀπέφηνε τῆς νεότητος, ἴλαρχόν τε φυλῆς γενέσθαι ἐπέτρεψε· καὶ μετ' ἐνιαυτὸν καὶ ὁ Λούκιος τὰς τιμὰς, ὅσαι τῷ Γαΐῳ τῷ ἀδελφῷ αὐτοῦ ἐδίδοντο, ἔλαβεν.* cf. quae ad Taciti locum de Germanico dixi p. 71.

[107]) Citat lapidem cum hac inscr. nescio unde Casaub. ad Capitol. M. Ant. ph. 6. In Scaligeriano ad Gruterum indice autem qui citatur locus, errore typographico ita indicatus est, ut eum diu quaerens non invenerim.

[108]) C. et L. Caesaribus praematura morte exstinctis non Tiberius princeps iuventutis dictus est, quum, adeptus tribuniciam potestatem, iam consors factus esset imperii, sed Germanicus. Ov. ep. ex Ponto 2, 5, 41. Etiam Titum accepta tribunicia potestate desiisse principem iuventutis appellari, observat Eckhel VIII p. 375 a. qui ceterorum quoque principum iuventutis catalogum e nummis confecit.

principes hunc titulum vindicarunt, quod factum videtur Getae et Caracallae tempore,[109]) semper in his nummis pedestres typi inveniantur.[110]) Ex quibus quum quidam coniecerint, principem iuventutis omnino non ad equites pertinuisse, sed ducem fuisse cuiusdam partis exercitus, contrarium potius sequitur, ut, Augustis ipsis ea potestate fungentibus, desierint principes iuventutis et esse inter VI viros, et decurrere cum turmis equitum, in quos olim cooptati fuerunt.

Cap. IV.

Equites illustres.[1])

1. Quod quum antiquis temporibus, tum maxime orto inter equites senatoresque dissidio Gracchorum aetate invaluerat, ut senatorum liberi ab equitibus et nomine et dignitate et ordinis insignibus distinguerentur, id Augusti lege ita sancitum esse, ut liberi senatorum, quo celerius reipublicae adsuescerent, protinus virilem togam latum clavum induerent curiaeque interessent,[2]) supra pluribus demonstratum est.[3]) Inde discernuntur a scriptoribus *οἱ ἱππεῖς, οἵ τε ἐς τὴν ἱππάδα ἀκριβῶς τελοῦντες καὶ οἱ τοῦ βουλευτικοῦ γένους ὄντες· οἱ νεανίσκοι ἔκ τε τοῦ βουλευτικοῦ γένους καὶ ἐκ τῶν ἄλλων ἱππέων· οἱ ἱππεῖς τοῦ τέλους καὶ οἱ εὐγενεῖς παῖδες.*[4]) Ad quos duo alia hominum genera accessere, qui, quamvis in senatu non essent, senatoriam tamen dignitatem affectarent. Nam et iis, qui censu anni 22 senatu moti sunt, permissúm est, ut latum clavum, locum in theatro senatorium, ius epulandi publice inter senatores retinerent,[5]) et comitiis tribuniciis, si deessent candidati senatores, ex equitibus Romanis tribuni creati sunt, ita, ut potestate transacta, in utro vellent ordine manerent.[6]) Denique inter eos, qui ex utroque ordine militiam splendidam facerent, ea distinctio facta erat, ut senatorii tribuni laticlavii, equestres tribuni angusticlavii essent. Qua in re quoniam fieri potuit,

---

[109]) Eckhel. VIII p. 378 a. 379 a.

[110]) i. e. principes iuventutis in nummis non equis insidentes, sed stantes inter signa militaria conspiciuntur, (Eckh. l. l. p. 376. 378 a.) ex quo Harduinus opp. sel. p. 647 affirmat, principem iuventutis semper fuisse ducem primarium turmarum pedestrium, aut, ut ipse lingua patria explicat, le colonel General de l'Infanterie. Neque longe ab hac sententia abest Spanh. de P. et U. N. II p. 364.

[1]) videndi de his Ryck. ad Tac. Ann. 2, 59. Lips. ad Ann. 11, 4. Walch. ad Tac. Agr. 4.

[2]) Suet. Oct. 38. Praeter liberos senatorum etiam alios, genere et censu senatorio insignes, Caligula hac lege complexus est. Dio 59, 9. *τοῦ δὲ τέλους τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος, τοὺς πρώτους ἐξ ἁπάσης καὶ τῆς ἔξω ἀρχῆς τοῖς τε συγγενέσι καὶ ταῖς περιουσίαις μεταπεμψάμενος κατελέξατο. καί τισιν αὐτῶν καὶ τῇ ἐσθῆτι τῇ βουλευτικῇ, καὶ πρὶν ἄρξαι τινὰ ἀρχὴν, δι' ἧς ἐς τὴν γερουσίαν ἐσερχόμεθα, χρῆσθαί τι ἐπὶ τῇ τῆς βουλῆς ἐλπίδι ἔδωκε· πρότερον γὰρ μόνοις, ὡς ἔοικε, πως τοῖς ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ φύλου γεγεννημένοις τοῦτο ποιεῖν ἐξῆν.*

[3]) v. p. 27 sq.

[4]) v. p. 28 n. 48. c. 3 §. 4. nott. 73. 75. 78. 80.

[5]) Dio 54, 14. Suet. Oct. 35.

[6]) Dio 54, 30. 56, 27. cf. 60, 11. Suet. Oct. 40.

ut non modo per genus senatorium ad tribunatum laticlavium, sed per hunc ad senatoriam dignitatem perveniretur, essetque is tribunatus gradus ad senatum,[7] accidit, ut quattuor essent genera hominum, non quidem senatorum, sed senatoriae dignitatis, primum iuniorum in senatu,[8] secundum senatu motorum, tertium tribuniciorum, qui in senatum legi nollent, quartum tribunorum laticlaviorum. Restabant ii, qui censu senatorio essent, (ea autem maxima pars erat) sed neque eos magistratus, in quibus iam nulla erat libere agendi potestas, minores praesertim,[9] expeterent, et senatorium nomen, iam inane illud et nonnunquam suspiciosum, dedignarentur; quo factum est, ut et ii, qui in senatu essent, in curiam venire,[10] et qui non essent, senatores fieri severis legibus cogerentur.[11]

2. Nec ii solum, qui veteris reipublicae recentem animo memoriam conservabant, securam vitam ambitioni iam non honestae anteponebant, sed erant etiam inter novarum rerum admiratores, qui obsequio pervenire ad efficacem potentiam, quam honorum specie inanium frui mallent. Accessit, quod nonnisi inviti ex ordine equestri discedebant, qui in negotiorum genere aliquo versabantur,[12] ut non magis quietis securitatisque cura, quam cupido opum atque potentiae in secundo ordine non paucos retineret. Itaque non philosophi tantum latum clavum recusaverunt,[13] sed postquam Pompeius statim ab equite summos honores cepit,[14] eodem modo aut magistratus summos

---

7) v. p. 65 n. 77.

8) Tac. Ann. 6, 2. Lips. ad Ann. 13, 25. Philostr. V. Apollon. 7, 4. Stat. Sylv. 4, 8, 59.

Quippe et opes et origo sinunt hos lampade prima
Patricios intrare fores: hos pube sub ipsa
(Si modo prima bonis invicti Caesaris adsunt
Numina) Romulei limen pulsare senatus.

9) Inprimis aedilitatis (Dio 49, 16) et tribunatus plebis candidati senatorii deerant. v. not. 6. Sed etiam XXviri, qui ante Augustum XXVIviri fuerant (v. de his praeter Walterum R. R. p. 165 Kellermann Vigilum Rom. latercula p. 68 n. 250) e iuvenibus senatorii ordinis creari solebant; quo munere functi ad regendas praefecturas Italiae mittebantur, (v. Cuiac. Obss XI, 24) deinde Quaesturam petebant. Etiam hi sub Augusto ex equitibus creati sunt. Dio 54, 26 ibiq. Fabr. Lips. ad Tac. Ann. 3, 29. Casaub. ad Suet. Oct. 36. Masson. V. Ovid. p. 54.

10) Dio 54, 18. 30. 35. 55, 3. 4. et sub Tiberio 58, 21.

11) De exiguo numero senatorum v. Dio 54, 26. ceterum v. eund 54, 30. Suet. Oct. 40. Claudius senatoriam dignitatem recusantibus equestrem quoque ademit. v. Suet. Claud. 24. cf. Dio 67, 13. cf. not. 29.

12) Afferam unum pro multis exemplum Attici. Nimirum negotiis omnibus interdictum senatoribus erat. Liv. 21, 63. Cic. Parad. 6, 1, 42. „Quem enim intelligimus divitem, aut hoc verbum in quo homine ponimus? Opinor in eo, cui tanta possessio est, ut ad liberaliter vivendum facile contentus sit: qui nihil quaerat, nihil appetat. 43. Sin autem propter aviditatem pecuniae nullum quaestum turpem putas, quum isti ordini ne honestus quidem possit esse ullus; si quotidie fraudas, decipis, poscis, pacisceris, aufers, eripis; si socios spolias, aerarium expilas —: haec utrum abundantis, an egentis sunt? Cic. Verr. 2, 5, 18. Quae et hoc l et Livii l. commemoratur Q. Claudii tr. pl. lex, ne senatoribus navem habere liceat, ea et l. Iulia repetundarum et multis aliis postea confirmata est, de quibus v. Cuiac. Obss. 6, 38. Nequis senator, neque per se neque per alium vectigalia conduceret, lege etiam Hadrianus sanxit. Dio 69, 16. de quo l. cf. Gothofr. ad Cod. Th. 12, t. 1 de decurion. l. 97. De senatoribus fenerantibus v. legem Alex Severi ap. Lampr. 26. De decurionibus Siciliae idem sanxerat C. Claudius Pulcher praetor a. 95. Cic. Verr. 2, 2, 49. Plura de his v. ap. Goth. l. l.

13) Senec. ep. 98: Honores repulit pater Sextius, qui ita natus, ut rempublicam deberet capessere, latum clavum D. Iulio dante non recepit Plut. Vol. VI p. 288 Reisk. *Σέξτιον τὸν Ῥωμαῖον ἀφεικότα τὰς ἐν τῇ πόλει τιμὰς καὶ ἀρχὰς διὰ φιλοσοφίαν.* De Sextiis cf. Senec. contr. 2 praef. p. 146 ed. Amst. ibique interpp. Quint. 10, 1.

14) Vell. 2, 30, 2. App. B. C. 1, 80.

aut potentiam sine titulo magnam adepti sunt alii. [15]) Ut „Caesaris opibus C. Oppius[16]) et Corn. Balbus primi potuere conditiones pacis et arbitria belli tractare:" [17]) „Matii [18]) posthac et Vedii, [19]) et cetera equitum Romanorum praevalida nomina" [20]) sub Augusto florebant, inter quos ne cum aliis Proculeium commemorem, cui filiam Iuliam in matrimonium dare voluisse Augustum dicebant: [21]) quis poetarum scriptorumque huius aevi laudibus celebratior, quam Maecenas, „cui secretiora omnia ille communicare solebat", illa „Caesaris almi Dextera", [22]) illud „et sumpta et posita pace fidele caput", [23]) qui cum plurimum apud illum posset, adeo ut ab eo multis honores et magistratus impetraret, cum maiora consequi posset, non concupivit, [24]) et angusto clavo bene contentus vixit. [25]) Cuius aemulos non paucos invenio, Crispum Sallustium, incolumi Maecenate proximum, mox praecipuum, cui secreta imperii innitterentur, „qui equestri loco ortus, quanquam prompto ad capessendos honores aditu, Maecenatem aemulatus, sine dignitate senatoria multos triumphalium consulariumque potentia anteivit": [26]) Mellam et Crispinum „equites Romanos, dignitate senatoria", quorum Mella, Senecae frater et ipse pater Lucani „petitione honorum abstinuerat per ambitionem praeposteram, ut eques Romanus consularibus potentia aequaretur. Simul acquirendae pecuniae brevius iter credebat, per procurationes administrandis Principis negotiis": [27]) Flaccum Vescularium, eq. R. cui propior usus cum Tiberio erat: [28]) alios quietis tantum cupidos, Cornelium Fuscum [29]) Minnciumque Macrinum [30]) sub Vespasiano, Herennium Senecionem sub Domitiano: [31]) Masurium Sabinum, Eq. R. eundemque ICtum Nervae familiarissimum, [32]) quibus ne alios addam, [33]) id meminisse

---

[15]) Octavianus ipse. Vell. 2, 65, 2. Salvidienus Rufus Vell. 2, 76, 4.

[16]) Suet. Caes. 52 „quae scire C. Matium et C. Oppium, reliquosque Caesaris amicos".

[17]) Cic. ad fam. 6, 8, 1. „Perspexeram, quae Balbus et Oppius absente Caesare egissent, ea solere illi rata esse". cf. ib. 12. 2. 19, 2. Verba, quibus usus sum, Taciti sunt Ann. 12, 60.

[18]) Accurate de hoc egit Leutsch in Zeitschr. f. Alterthumsw. 1834 p. 164 sqq.

[19]) Dio 54, 23.

[20]) Tac. l. l.

[21]) Tac. Ann. 4, 39. Seiani ep. ad Tiber.: „Et quoniam audierit, Augustum in collocanda filia nonnihil etiam de equitibus Romanis consultavisse, ita, si maritus Liviae quaereretur, haberet in animo, amicum sola necessitudinis gloria usurum". ib 40. „At enim Augustus filiam suam equiti Romano tradere meditatus est. Mirum hercule, si, cum in omnes curas distraheretur, immensumque attolli provideret, quem coniunctione tali super alios extulisset, C. Proculeium et quosdam in sermonibus habuit, insigni tranquillitate vitae nullis rei publicae negotiis permixtos".

[22]) Pedo Albinov. eleg. in obit. Maecen. 14.

[23]) Prop. 2, 1, 36.

[24]) Dio 55, 7.

[25]) Vell. 2, 88, 2. Porphyr. ad Hor. Od. 1, 20, 5. Prop. 4, 9, 2. 23—30.

[26]) Tac. Ann. 3, 30.

[27]) Tac. Ann. 16, 17. cf. Suet. Contr. 2 praef. p. 145 ed. Amst.

[28]) Tac. Ann. 2, 28.

[29]) Tac. H 2, 86: Sed procurator aderat Cornelius Fuscus, vigens aetate, claris natalibus. Prima iuventa quietis cupidine senatorium ordinem exuerat. cf. Ovid. Trist. 4, 10, 29.

[30]) Plin. epp. 1, 14, 4.

[31]) Dio 67, 13.

[32]) Pompon. de orig. Iur. D. 1, 2. 2 §. 47.

[33]) cf. nott. 11. 12.

satis est, postea inter eos, qui novo titulo, ut apud Ptolemaeos,[34]) amici et comites Augusti appellati sunt,[35]) non minimam partem equitum Romanorum fuisse, eosque ab Hadriani tempore etiam in consilium principis receptos.[36])

3. Erant igitur inter equites multi, qui senatores honore aequarent, iique, quoniam et equites, et tamen, sive genere, sive censu, sive militiae gradu supra equites erant, variis a ceteris distinguuntur nominibus. Quippe vel equites senatorio censu,[37]) vel dignitate senatoria,[38]) vel, impetrato ab imperatoribus lato clavo,[39]) laticlavii,[40]) vel denique, nomine vetere,[41]) sed post hoc tempus significationem novam adepto,

---

34) *οἱ πρῶτοι φίλοι* in inscriptionibus Aegypti. V. Letronne rech. sur l'hist. de l'Eg. p. 52. 58.

35) De amicis Caesaris v. Suet. Caes. 52 Cic. ad fam. 6, 12, 2. 11, 27. 28. De Augusto Tiberius in ep. ad Seian. Tac. Ann. 4, 40. „Vis tu quidem istum intra locum sistere: sed illi magistratus et primores, qui te invito perrumpunt, omnibusque de rebus consulunt, excessisse iam pridem equestre fastigium longeque anteisse patris mei amicitias (Maecenatem et Agrippam, nisi forte etiam alii intelliguntur. de Matio, Augusti amico v. Plin. H. N. 12, 6) non occulti ferunt". Postea amicus et comes Augusti certus titulus est eorum, qui sunt in consilio principis. Suet Tit. 7. Spart. Hadr. 8. 11. 18. et ad h. l. Salmas. Capitol M. Ant. ph. 7. 10. 27. 29. Dig. 37, 14 de iure patr. c. 17 bis. In inscriptionibus amici et comites Augusti, et liberti a cura amicorum inveniuntur. cf. de familiaribus (*συμβιωταῖς, ὁμοτραπέζοις*) principum Meibom. v. Maecen. p. 42.

36) Augustus enim senatores in consilio habuit. De quo v. Suet. Oct. 35. Dio 53, 21. 56, 28. 56, 41. cf. 55, 27. 57, 7. 60, 4. idem 52, 33 Maecenatem idem suadentem facit Augusto, quod suo tempore invaluerat, ut in consilium adhiberet etiam equestris ordinis viros. De Traiani consilio v. Plin. epp. 1, 20, 12. 4, 22, 1. 6, 31, 2. Hadriani tempore mos erat, ut, quum princeps caussas cognosceret, et senatores et equites Romanos in consilium vocaret, et sententiam ex omnium deliberatione proferret. Spart. Hadr. 8. eiusque rei iam sub Galba exemplum invenio, sub quo Cornelius Laco, eques R. ex assessore praefectus praetorio factus est. v. Suet. Galb. 14. de M. Aurelio v. Capitol. M. Ant. ph. 10. Al. Severus, si Herodianum 6, 1. sequimur, senatores solos in consilio habuit; incertius loquitur Lampr. Al. Sev. 15, 16 Apertius Gaius 1, 20. Ulp. 1, 13. Consilium adhibetur in urbe Roma quidem V senatorum et V equitum Romanorum puberum.

37) v. legem Augusti ap. Dion. 54, 30. *ἐνομοθέτησεν, ἐκ τῶν ἱππέων τῶν μὴ ἔλαττον πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας κεκτημένων προβάλλεσθαι τοὺς ἐν ταῖς ἀρχαῖς ἕνα ἕκαστον.*

38) Tac. Ann. 16, 17. Mella et Crispinus, equites Romani dignitate senatoria.

39) Liberi enim senatorum, ni fallor, post legem Augusti (v. not. 2) non erat, cur veniam principis impetrarent; et ita Statius 5, 2, 27 ad Crispinum, iuvenem XVI annorum:

Sic te, clare puer, genitum sibi curia sensit,
Primaque patricia clausit vestigia luna.
Mox Tyrios ex more sinus, tunicamque potentem
Agnovere humeri.

de quo loco cf. Ferrar. anall. de re vest. c. 19. Masson v. Ovid. p. 42 sqq. De ceteris cf. Suet. Vesp. 3: Sumta virili toga latum clavum, quanquam fratre adepto, diu aversatus est, neque ut tandem appeteret, compelli nisi a matre potuit. ib. 4: Convictus quoque dicitur ducenta sestertia expressisse iuveni, cui latum clavum adversus patris voluntatem impetraverat. Plin. ep. 2, 9, 2: Ego Sexto latum clavum a Caesare nostro impetravi. De Caligulae lege v. Dion. 59, 9. quem exscripsi not. 2. Ulpian 7, 1: Hoc amplius principalibus constitutionibus concessum est mulieri, in hoc donare viro suo, ut is ab imperatore lato clavo vel equo publico similive honore honoretur. Gaius Dig. 24, 1, de don. int. vir. et ux. 42. Nuper ex indulgentia principis Antonini recepta est caussa donationis, quam dicimus honoris caussa. Ut ecce, si uxor viro lati clavi petendi gratia donet, vel ut equestris ordinis fiat, vel ludorum gratia.

40) Suet. Ner. 26: (Nero) a quodam laticlavio prope ad necem caesus est. Lucian. Demon. 41. *Ἰδὼν δέ τινα τῶν εὐπαρύφων ἐπὶ τῷ πλάτει τῆς πορφύρας μέγα φρονοῦντα κύψας αὐτοῦ πρὸς τὸ οὖς καὶ τῆς ἐσθῆτος λαβόμενος καὶ δείξας ἔφη· Τοῦτο μέντοι πρὸ σοῦ πρόβατον ἐφόρει καὶ ἦν πρόβατον.* Inde patrimonium laticlavium ap. Petron. 76. Contra hunc morem Alex. Severus legem tulit, in cuius vita Lampr. c. 27: „In animo habuit, omnibus officiis genus vestium proprium dare et omnibus dignitatibus. — tum satis esse constituit, ut equites Romani a senatoribus clavi qualitate discernerentur", i. e., ut recte explicat Casaub., ut equites omnes angustum clavum ferrent.

41) Cic. Verr. 2, 3, 24: „Quid, si equitibus Romanis, non obscuris neque ignotis, sed honestis et illustribus manus ab Apronio sine ulla dubitatione afferebantur". Sic etiam Livius viros illustres dicit, qui gradu militari ante alios eminebant. V. Liv. 30, 18. 33, 36, 5. 33, 25, 9.

equites illustres,[42]) ἱππεῖς ἐπιφανεῖς,[43]) equites splendidi[44]) appellantur. Erant alii praeterea, his, ut honore cedentes, sic coniunctione et amicitia principis longe antecellentes, quibus nonnunquam extraordinaria delata munera legimus:[45]) accessit ad hos tertium, de quo adhuc dicendum est, genus eorum, quos novi et inusitati ante honores ad equestrem quandam nobilitatem[46]) efferebant. Inter quos honores primum locum tenet praefectura praetorii, quam, institutis cohortibus praetoriis,[47]) vagis primum et per hospitia dispersis,[48]) duobus equitibus ab Augusto traditam,[49]) mox, coactis in unum corpus praetorianis, singuli susceperunt: qui quum statim ab initio non modo in praetorianos, sed omnes per Italiam totam milites imperium obtinerent,[50]) paullo post etiam rerum civilium curam in se reciperent,[51]) inde a Tiberio equestre fastigium ita excesserunt, ut affectare affinitatem principum,[52]) principatus et dandi et adimendi arbitrium tenere, denique ipsi summae rerum praeesse conarentur.[53]) Quibus proximi honore sunt praefectus annonae[54]) atque

---

ad q. l. v. Dukerum. Nihil autem apud Ciceronem frequentius, quam splendor equester, eques splendidus. v. ex. gr. pr. Planc. 5. pr. Rosc. Am. 48. pr. Coel. 2. in Verr. 2, 2, 28. 2, 4, 20. 2, 5, 62.

42) Certum est apud Tacitum inter equitem Romanum et equitem illustrem discrimen. cf. Ann. 4, 58. 6, 18. 6, 27. 11, 22. 11, 36. 12, 7. 12, 15. 13, 1. 13, 45. 14, 28. 16, 17. 16, 27. equitesque illustres non in equitum, sed in senatorum numero haberi docet Tac. Ann. 2, 59. „Nam Augustus inter alia dominationis arcana vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus, seposuit Aegyptum. Quod sic expressit Arrianus exp. Al. 3, 5, 7. Krueg. *καὶ Ῥωμαῖοι δοκοῦσι παρ' Ἀλεξάνδρου μαθόντες ἐν φυλακῇ ἔχειν Αἴγυπτον, καὶ μηδένα τῶν ἀπὸ βουλῆς ἐπὶ τῷδε ἐκπέμπειν ὕπαρχον Αἰγύπτου, ἀλλὰ τῶν εἰς ἱππέας σφίσι συντελούντων.* Arrianum, qui ipse et senator et Consul fuit, tenuisse legem Augusti apertum est; illustres autem non ad equites, sed ad senatores refert.

43) Plut. de Octaviano v. Cic. 44. *Ἦν δὲ πατρὸς Ὀκταουίου τῶν οὐκ ἄγαν ἐπιφανῶν.* Ita senatores ipsos *ἐπιφανεῖς* dicit Dio 57, 14. 59, 10. 70, 1. Idem 75, 10. *δύο ἄνδρας ἐπιφανεῖς* dicit Iulium Crispum, trib. praetor. et Laetum, Severi legatum. Eodem sensu *ἱππεῖς πρῶτοι* ap. eundem 57, 11. *ἱππεῖς ἐλλόγιμοι* 52, 25. 74, 4.

44) Hi in inscriptionibus saepe leguntur. v. Orell. n. 3108. 3050. 3051. Marini Atti 2, p. 530. Sed etiam ap. Plin. epp. 6, 15, 25 multisque aliis locis. Massonius Vit. Ov. p. 21, a Lipsio, quem nos fere secuti sumus, recedens, splendidos, speciosos (Vell. 2, 59), illustres equites ob generis antiquitatem appellatos esse putat, a Velleio sine dubio ductus, apud quem (2, 88) est Maecenatis equestre sed splendidum genus, quod Massonius ad nobilitatem eius refert. Sed hanc sententiam, ne Ciceronis loca afferam, (v. not. 41) satis refellit Seneca ep. 101: „Senecionem Cornelium, equitem Romanum splendidum et officiosum noveras: ex tenui principio se ipse promoverat, et iam illi declivis erat cursus ad cetera. Facilius enim crescit dignitas, quam incipit. Pecunia quoque circa paupertatem plurimam moram habet, dum ex illa ereptat. — Ille et mari et terra pecuniam agitabat, ad publica quoque, nullum relinquens inexpertum genus quaestus, accesserat“.

45) Tac. Ann. 6, 11 Dio 52, 21.

46) Tac. Agric. 4. „Agricola utrumque avum procuratorem Caesarum habuit, quae equestris nobilitas est“.

47) a. 27 a. Chr. Dio 53, 11.

48) Suet. Tib. 37.

49) Dio 52, 24. 55, 10.

50) Dio 52, 24.

51) ab Hadriani, ut videtur, tempore. v. Walter R. R. p. 295 not. 44. Campian. de off. et potest. mag. Rom. p. 128 sqq.

52) De Seiano v. Tac. Ann. 4, 40. cf. Suet. Tit. 4. „Titus Arricidiam Tertullam, patre equite Romano, sed praefecto quondam praetorianarum cohortium, duxit uxorem“.

53) Praefectus equitum semper erat eques Romanus. Dio 52, 24. 55, 10. Suet. Tit. 6: „praefecturam quoque praetorii suscepit, nunquam ad id tempus, nisi ab equite Romano administratam“. Lamprid. Comm. 4: „Paternum — per lati clavi honorem a praefecturae administratione submovit“. Lampr. Pertin. 2: „doluitque palam Marcus, quod, quum senator esset, praefectus praetorii fieri a se non posset“. Cui legi Seiani et Clementis Arretini exempla non repugnare, quorum ille post praefecturam demum senator factus, hic per turbas militares electus est, docuit Lips. ad Tac. Ann. 4, 10. H. 4, 68. cf. Casaub. ad Capitol. M. Ant. phil. 10.

54) Dio 52, 24. *νυκτοφύλαξ δὲ ἕτερος, καὶ ἐπὶ τοῦ σίτου τῆς τε ἀγορᾶς τῆς λοιπῆς ἕτερος, ἔκ τε τῶν ἱππέων τῶν*

praefectus vigilum. Vigilum in locum familiarum publicarum, quae triumviris nocturnis ducibus hucusque incendiis exstinguendis operam dederant, septem cohortes e libertis legerat Augustus,[55]) molestum initio et contemtum genus militiae. Sed postea et spe civitatis post militiam sex annorum et societate civium aequati militibus ceteris,[56]) paullatim aucti sunt usque ad septem millia, praefectoque non modo iudicialis potestas in incendiarios, effractores, fures, raptores, receptatores et huiusmodi homines data,[57]) sed et spes facta provinciarum,[58]) et numero militum tanta auctoritas addita, ut in hoc contra praetorianorum insolentiam non exiguum esse principatus praesidium videretur.[59]) His adde procurationum varia genera,[60]) quibus equites Romani[61]) ab Augusto imponebantur: quorum pars in provinciis principis vectigalia atque tributa exigebat,[62]) militibus persolvebat stipendia:[63]) alii in provin-

---

πρώτων μετ' ἐκείνους (praef. praet. et pr. urbi) καὶ εἰς τακτὸν χρόνον ἀποδειχνύσθωσαν. Praefectum annonae proximum dignitate fuisse praefecto praet., docet Tac. Ann. 1, 7: „At Romae in servitium ruere Patres, Consules, eques: S. Pompeius et S. Appuleius Css. primi in verba Tiberii iuravere, apudque eos Seius Strabo et C. Turranius, ille praefectus praetoriarum cohortium, hic annonae: mox senatus milesque et populus". cf. Inscr. ap. Kellermann de vigg. append. p. 27 n. 6.

C. SEXTIO T. AFRICANO
PRAEF. VIGILVM
PRAEF. ANNONAE
PRAEF. AEGYPTI
— — ISSIMO.

cf. not. 76. Quod Burmannus de vect. p. 118 Pancirollum vituperat, ad not. dign. Occid. c. 5 asseverantem, hunc praefectum equitem Romanum fuisse, in eo praetervidit eos locos, quos et ego laudavi, et procul dubio Pancirollus secutus est. Idem probat inscr. l. quia praefectus Aegypti nonnisi eques R. fieri potest. Quanquam postea ex ordine senatorio praefecti ann. creati sunt. v. Orell. inscr. n. 1084. 1186.

55) Strabo 5, 3, p. 381 Tauchn. Dio 52, 24. 33. 55, 26. 57, 19. Paulus Dig. 1, 15, 1. de off. praef. vig. Posteriore aetate etiam hoc officio senatorios functos esse, e clarissimorum, perfectissimorum, spectabilium virorum appellationibus, quibus ornati sunt hi praefecti in inscriptionibus, apparet. v. Kellermann p. 13 b Append. n. 15—20.

56) V. copiosam Kellermanni de vigilibus diss. p. 1 sqq. cf. Marini Atti 2, p. 472 n. 31. Vigiles etiam in municipiis et coloniis erant. v. Kellerm. p. 33. cf. Petron. Sat. 14.

57) Paulus libro sing. de off. praef. vigil. Dig. 1, 15, 3.

58) Laco, praefectus Vigilum sub Claudio, procurator Galliae factus. Dio 60, 23. Laelianus, in Pollionis locum a Nerone in Armeniam missus, praefectus vigilum fuerat. Dio 61, 6. cf. inscr. laudatam not. 54.

59) Tac. Hist. 3, 64: At primores civitatis Flavium Sabinum — incitabant. Esse illi proprium militem cohortium urbanarum: nec defuturas vigilum cohortes. cf. c. 69. Dio 73, 9 de Pertinace: Δυνηθεὶς γὰρ ἂν μάλιστα μὲν ἀποκτεῖναι τοὺς ἐπελθόντας (τῇ γὰρ νυκτερινῇ φυλακῇ καὶ τοῖς ἱππεῦσιν ὥπλιστο, καὶ ἦσαν καὶ ἄλλοι ἐν τῷ παλατίῳ ἄνθρωποι πολλοὶ) τούτων οὐδὲν ἐποίησεν. Idem 58, 9 narrat, Macronem, a Tiberio ad Seianum capiendum missum, noctu Romam venisse, tanquam aliud ob negotium; mandata cum Memmio Regulo tum consule et cum Graecino Lacone, nocturnorum vigilum praefecto, communicasse. Quum autem Seianus in curiam venisset, Macronem, militibus praetorianis, qui circum Seianum et curiam essent, in castra ablegatis, in eorum locum Vigiles templo circumfudisse, custodiamque eius loci Laconi mandavisse: ipsum in castra praetoriana, ne quid ibi turbaretur, contendisse. Idem c. 12. καὶ οἱ στρατιῶται, ἀγανακτοῦντες, ὅτι αὐτοί τε ἐς τὴν τοῦ Σηϊανοῦ εὔνοιαν ὑπωπτεύθησαν, καὶ οἱ νυκτοφύλακες σφῶν ἐς τὴν τοῦ αὐτοκράτορος πίστιν προετιμήθησαν, ἐμπρήσεις τε καὶ ἁρπαγὰς ἐποιοῦντο.

60) Non vidi Godofr. Mascovii de procur. Caes. dissertationem (Altdorf 1723). Sed cf. Lips. exc. B. ad Tac. Ann. 12, 60, quem sequitur Burm. de vect. p. 114 sq. Walch. ad Tac. Agr. p. 134. Bethmann Hollweg. Gerichtsverf. und Process des sink. Röm. Reichs p. 68. Walter R. R. p. 298. 317.

61) Strabo 3, p. 268. T. Dio 52, 25. Τάς τε διοικήσεις τῶν χρημάτων, τῶν τε δήμου καὶ τῶν τῆς ἀρχῆς λέγω καὶ τὰς ἐν τῇ Ῥώμῃ τῇ τε ἄλλῃ Ἰταλίᾳ καὶ τὰς ἔξω πάσας οἱ ἱππεῖς διαχειριζέτωσαν. 53, 15. Καὶ τοὺς ἐπιτρόπους (οὕτω γὰρ τοὺς τάς τε κοινὰς προσόδους ἐκλέγοντας καὶ τὰ προστεταγμένα σφίσιν ἀναλίσκοντας ὀνομάζομεν cf. 57, 23) ἐς πάντα ὁμοίως τὰ ἔθνη τά τε ἑαυτοῦ δὴ καὶ τὰ τοῦ δήμου, τοὺς μὲν ἐκ τῶν ἱππέων, τοὺς δὲ καὶ ἐκ τῶν ἀπελευθέρων πέμπει· πλὴν καθόσον τοὺς φόρους οἱ ἀνθύπατοι παρ' ὧν ἄρχουσιν ἐσπράσσουσιν. De libertis v. l. IV c. 2.

62) cf. Dionis locos ll. Strabo 17, p. 502 T. Capitol. Ant. Pio 6. Post Claudium hi de fiscali pecunia iurisdictionem habebant. Tac. Ann. 12, 60. Suet. Claud. 12, ubi v. contra Lipsium Baumgarten-Crus. cf. Dio 57, 23. Tac. Ann. 4, 15. Plura v. ap. Walter p. 317. Bethmann-Hollw. p. 69.

63) Strabo 3, p. 268 T.

ciis populi fiscali pecuniae praeerant:[64]) alii Romae fiscum administrabant:[65]) alii vice praesidis provincias ipsi regebant,[66]) ut Rhaetia, Noricum, Thracia, Mauretaniae duae,[67]) Epirus,[68]) Alpes Maritimae,[69]) Iudaea, Cappadocia,[70]) aliaeque non solum minores, sed interdum etiam proconsulares provinciae[71]) ab equitibus cohibebantur.[72]) Atque hae, ni fallor, amplissimae illae et splendidissimae procurationes sunt, quibus, qui equestribus militiis omnibus functi essent,[73]) quasi nobilitate quadam equestri[74]) condecorabantur. Inter quas longe princeps praefectura Aegypti erat, cuius praefectus Augustalis[75]) loco regum Aegyptum copiasque, quibus coerceretur, inde a D. Augusto obtinuit; apud quem lege agi, cuiusque decreta perinde haberi ille iusserat, ac si magistratus Romani constituissent.[76])

Sed hic fortasse quispiam dixerit, fuisse quidem etiam in his officiis domus Augustae et dignitatem aliquam, et ordinis equestris splendorem, neque tamen haec esse cum curulibus magistratibus iisque honoribus comparanda, quos viri senatorii ceperint: Augustum ipsum in provincias suas maiores Consulares Praetoriosque, non

---

64) v. Dionis locos not. 61.

65) Suet. Claud. 28.

66) Praesidis nomine, quanquam generale est, tamen inprimis hi equites significantur. Dig. 1, 18 de off. praes. 1: Praesidis nomen generale est: eoque et proconsules et legati Caesaris et omnes provincias regentes, licet senatores sint, praesides appellantur. Proconsulis appellatio specialis est. Lamprid. Alex. Sev. 24: Provincias praetorias praesidiales plurimas fecit, proconsulares ex senatus voluntate ordinavit. cf. Capitol. v. Probi 13. Salmas. ad Spart. Hadr. 13. Capitol. v. Veri 4. Savigny G. d. R. R. im Mittelalt. 1, p. 74.

67) De his v. Tac. H. 1, 11. de Mauretania etiam Plin. H. N. 5, 1.

68) Arrian. Epict. 3, 4.

69) Orell. Inscr. n. 3331. cf. n. 2156

70) Quanquam haec postea demum imperio addita. cf. Suet. Vesp. 8. Dio 57, 17. De Iudaea v. Walter R. R. p. 317 not. 22.

71) Procurator provinciae Asiae, quam mandatu Principis vice defuncti Procos. rexit. ap. Orell. inscr. n. 3651. cf. Marini Atti 1, p. 5. 2, p. 763.

72) Strabo 17 extr. *Τὰς δὲ ἄλλας ἐπαρχίας ἔχει Καῖσαρ· ὧν εἰς ἃς μὲν πέμπει τοὺς ἐπιμελησομένους ὑπατικοὺς ἄνδρας, εἰς ἃς δὲ στρατηγικοὺς, εἰς ἃς δὲ καὶ ἱππικούς.* In inscriptionibus legitur Procurator vice Praesidis, Procurator et Praeses, Procurator cum potestate gladii. V. Marini Atti 2, p. 547. 623 n. 254. Morcelli l. l. 2, p. 62. Huc pertinent etiam civitatum praefecti, qui olim e senatorio ordine, postea ex equitibus missi sunt. Unde in nummis Graecarum civitatum, Magnesiae ad Sipylum, Pergami, Cotiaei Phrygiae, Smyrnae, Gordi, inveniuntur *Ἱππικοὶ*. (Equestres. cf. Ern. ad Tac. Ann. 12, 60.) v. Mionnet suppl. Vol. IX in ind. et inscr. ap. Grut. p. 388, 4. *Λ. Κλ. υἱὸς Κυι. ἱππεὺς Ῥωμαίων, πρῶτος Μελιταίων.*

73) Suet. V. Plinii: Equestribus militiis industrie functus procurationes quoque splendidissimas summa integritate administravit. cf. Plin. epp. 7, 25.

74) Tac. Agr. 4.

75) V. de hoc egregie disputantem Letronne recherches sur l'Egypte p. 263. 266 sqq. Seriem praefectorum Aegypti v. ap. Labus dissertazione di un epigraphe latino scoperta in Egitto. Milano 1826. cf. Letronne Journ. des Savans 1826 p. 684 sqq. Osann. Hall. Lit. Z. 1828 n. 120.

76) Tac. Ann. 12, 60. Ceterum memorabilis est ad cognoscendos gradus equestris dignitatis inscr. ap. Marini Atti 1, p. 5. Orelli n. 3651:

C. Minicio C. fil.
Vel. Italo IIII viro I. D.
praef. coh. V Gallor. equit.
praef. coh. I Breucor. equit. C. R.
praef. coh. II Varc. eq. trib. milit. leg. VI vict.
praef. eq. alae I sing. C. R. donis donato a Divo Vespasiano coron. aurea hast. pur.
proc. provinc. Hellespont. proc. provinciae Asiae quam
mandatu principis vice defuncti Procos. rexit procurat.
provinciarum Lugdunensis et Aquitanicae item Lactorae
praefecto annonae praefecto Aegypti.

Praef. Aegypti postea praef. praet. factum esse, exemplum Basiliani ostendit, quem Macrinus loco Iuliani praefectum praet. designaverat. Dio 78, 35.

equites Romanos mississe: eosdem et exercitibus et summae cuique rei gerendae praefecisse. Quod ut verum est, ita ad meam sententiam non pertinet. Manserunt enim secundus ordo etiam sub Augusto equites, sed idcirco aliquantum plus momenti, quam antea in hoc quoque ordine fuit, quod in eo firmamentum quoddam principatus esse coepit, senatorius ordo adversarios paene omnes dominationis, veterisque reipublicae admiratores continebat. De qua re memorabilis Taciti locus est.[77]) „Augustus, inquit, inter alia dominationis arcana vetitis, nisi permissu, ingredi senatoribus aut equitibus Romanis illustribus seposuit Aegyptum: ne fame urgeret Italiam, quisquis eam provinciam claustraque terrae ac maris, quamvis levi praesidio adversum ingentes exercitus insedisset". Nimirum putavit in equite et obsequium maius, et audaciam fore minorem: idemque de ceteris, quas equitibus dedit, potestatibus sentiendum est. Etenim ea quaestio, quae nostris temporibus inde ab Ludovico XIV civitates multas concussit, utrum regis caussa a re publica non diversa, an utraque esset ab altera separabilis: utrum, quidquid regi placuisset, saluti reipublicae conducturum esset, an esset reipublicae ipsius vis quaedam atque significatio, aliudque esset in officio regis esse, aliud reipublicae magistratum gerere: ea tum temporis, adhuc integra memoria libertatis, cum maxime agitata est. Nec quod Seneca ad Polybium, libertum Claudii scribit:[78]) „Caesar, cui omnia licent": „Caesar orbem terrarum possidet", hac aetate nobilium omnium consensum tulisset, quorum quidam, exstare adhuc rempublicam iudicantes, quid iure et liceret in ea et deberetur principi, multo certioribus, quam princeps ipse, finibus circumscribebant.[79]) Contrarium est, quod in arcanis imperii habuisse Augustum tradunt: cur munia senatus, magistratuum, legum in se trahere coepit, cur aerarium publicum, adhuc a fisco nomine separatum, non minus quam illud arbitrio suo subiecit: cur procuratoribus, ut patrimonium suum privatus, rempublicam administrari voluit. Separari a principis re privata rempublicam iam nolebat, cuius consilii exsequendi quum una ratio esset, ut potentia omnis, magistratibus veteribus derogata, ad officia domus Augustae transferretur, quae iam in se receptura orbem erat, non iis hominibus uti potuit, qui maiorum more republica capessita, non principem colere, sed maiorum instituta assueverant, sed iis, qui ex humili loco per principem ipsum evecti, imperatoris salutem a communi suaque ipsorum utilitate diversam non habebant. In his obsequium, in his fides, in his erat principatus praesidium. Quod si ex equestri ordine, qui inde ab antiquissimo tempore seminarium fuit senatus,[80])

---

[77]) Tac. Ann. 2, 59. cf. Suet. Caes. 35. Regnum Aegypti victor Cleopatrae fratrique eius minori permisit, veritus provinciam facere, ne quandoque violentiorem praesidem nacta novarum rerum materia esset. cf. Arrian. exp. Al. 3, 5, 7. Krueg.

[78]) Cons. ad Polyb. 26.

[79]) v. p. 53 sq.

[80]) V. p. 7 nott. 30. 30 a. 31. L. Iun. Brutum patrum numerum, primoribus equestris gradus lectis supplevisse,

in hunc promptissimi quique atque fidissimi lecti a principe essent, sperari potuit, fore, ut et in senatu et in summis magistratibus novum genus principique deditum esset. Haec, ni fallor, Augusti consilia erant: haec, quamvis circumspecte paullatimque, coepit perficere, non suo tantum, sed tanquam duraturo per longum tempus principatui prospiciens: rem inchoatam successoribus peragendam reliquit, addiditque praecepta,[81]) quorum nonnulla secutum esse Tiberium invenio: proventui rei et ingruens rebus Romanis fatum, et dissimile sequentium imperatorum ingenium obstitit.

Liber IV.

Ordinis equestris occasus et interitus.

Cap. I.

Ius anuli aurei.

1. Quomodo dignitas equestris a patriciis ad duodeviginti centurias equitum, tum ab his ad ordinem equestrem publicanosque pervenerit, et quomodo hic post diuturnum cum senatu dissidium novas sub Augusto ceperit vires, prioribus libris demonstratum est. Augusti instituta per breve tempus duravere, ruensque in deterius seculum unius hominis sapientia superius erat. Nec diutius mansisse ceteris ea invenio, quae ad splendorem equitum renovandum pertinuerunt: quem principio libertorum crescens potentia, mox mutata forma imperii Romani exstinxit. Sed priusquam ad novissima haec ordinis fata transeam, iuvat brevi dicere de anulorum aureorum iure, quod, coniunctum cum equestri ordine, easdem, quas ille, mutationes habuit, quumque diversum esset diversis

---

auctor est Liv. 2, 1. Idem 42, 61: Equites enim illis principes iuventutis, equites seminarium senatus: inde lectos in patrum numerum consules, inde imperatores creant. Lamprid. Alex. Sev. 19. Idem libertinos nunquam in equestrem locum redegit, asserens, seminarium senatorum equestrem locum esse. Ioseph. Antiqq. 19, 1, 1. *Μυρία δὲ εὑρίσκετο* (Caligula) *καὶ κατὰ τῶν ἱππέων μὲν καλουμένων, ἀξιώματι δὲ καὶ δυνάμει χρημάτων ὅμοια τοῖς συγκλητικοῖς ὑπὸ τῆς πόλεως ἀγομένων, διὰ τὸ ἐκ τούτων εἰς τὴν βουλὴν εἶναι κατακλήσεις.*

81) Dio 56, 33. *Ἐσεκομίσθη δὲ καὶ βιβλία τέσσαρα· — καὶ τὸ τέταρτον, ἐντολὰς καὶ ἐπισκήψεις τῷ Τιβερίῳ καὶ τῷ κοινῷ, ἄλλας τε καὶ ὅπως μητ' ἀπελευθερῶσι πολλοὺς, ἵνα μὴ παντοδαποῦ ὄχλου τὴν πόλιν πληρώσωσι· μητ' αὖ ἐς τὴν πολιτείαν συχνοὺς ἐσγράφωσιν, ἵνα πολὺ τὸ διάφορον αὐτοῖς πρὸς τοὺς ὑπηκόους ᾖ, κ. τ. λ.* Tac. Ann. 1, 11. Suet. Oct. 101. Iuliani Caes. p. 326 C. Spanh. Exstabant praeterea orationes Augusti, quae, tabulis incisae, ex SCto quotannis Kalendis Ianuariis recitabantur. Dio 60, 10.

temporibus, non nostris solum hominibus, sed veteribus etiam negotium magnum fecit,[1]) quorum qui copiosissime de anulis scripsit, Plinius, vera cum falsis, certa cum coniecturis miscens, rem obscuravit magis, quam explicuit. [2]) Haec tamen, si recte supra disserui, pro exploratis haberi posse puto: Antiquis temporibus inter patriciorum, [3]) post inter nobilium insignia erat anulus aureus, eumque a. 305 a. Chr. nondum aut omnes senatores aut equites habuisse annalium veterum consentiens traditio est. [4])

---

[1]) V. Kirchmann de anulis c. 15. 16. Brissonii opp. min. ed. Trekell. p. 198. Lipsii Electa 2, 8. Non vidi Fr. Cortii syntagma de anulis. I. I. Haller de insignib. ordin. equestr. veterum Roman. Altdorf 1715. P. Burmanni diss. de iure anulorum aureorum. Fr. ad Rh. 1734.

[2]) H. N. 33, 6—9. Coniectura utitur c. 6 §. 20. Promiscui autem usus (vestigium exstat) secundo Punico bello; neque enim aliter potuissent trimodia illa anulorum Carthaginem ab Hannibale mitti. Cui coniecturae non multum tribuendum esse, dixi p. 17. C. 7 §. 29 pergit: Sed anuli plane medium ordinem tertiumque plebi et patribus inseruere; quod antea militares equi nomen dederant, hoc nunc pecuniae [iudices] (Lips. de mil. Rom. 1, 5 voluit indices, ut est in Cod. Bamb. Credo glossema esse, e sequentibus hic adscriptum) tribuunt Nec pridem id factum. Divo Augusto decurias ordinante maior pars iudicum in ferreo anulo fuit, iique non equites, sed iudices vocabantur. Equitum nomen subsistebat in turmis equitum. Ex tribus rebus, quae hoc loco continentur, prima aperte falsa est; alteram certo sine dubio auctore tradit, quem tamen non recte intellexit: tertiam coniectura addidit. Quod ad primam, non dico de voce iudices, quam librarii addidere: nam et constat Plinii tempore, qui censum equestrem haberent, equites appellatos esse, et hoc Plinius ipse vult, cum iudicum appellationem §. 34 ad Gracchorum tempora, non ad sua referat, et idem denique orationis conformatio docet: sed illud falsum est, non pridem, et post Augustum et anulum et nomen equestre ad eos pervenisse, qui censum equestrem haberent, quum sexcentis Ciceronis locis legibusque omnibus iudiciariis demonstrari possit, publicanos, qui equum p. non haberent, tamen equites dictos esse. Notavit hunc errorem etiam Madv. de tribb aer. p. 12, n. 18, abreptumque esse Plinium hic, ut saepissime, studio veteris simplicitatis laudandae, sui temporis arrogantiae reprehendae, animadvertit. Tamen in ea re a Madvigio dissentio, quod mihi videtur in h. l. aliquid veri latere, Pliniique error non tam ad rem, quam ad tempus pertinere. Quam ob rem ita hoc loco usus sum p. 25. Neque enim Semproniae legi multum tribuerim, ex qua „communi antiquitatis consensu", ut ait Madvigius, „iudicasse equites narrantur". Nam legis verba non exstant: fierique potuit, ut auctores huius rei id nomen in eos transferrent, qui in ipsa lege ita tantum significarentur, ut censum equestrem, quamvis non essent equites, habere dicerentur. Eaque sententia cum iis, quae de equitum historia supra disputavi, optime convenit. Quod ad rem secundam: is scriptor, quem Plinius secutus est, intellexit sine dubio eos iudices, quos ex centurionibus, Alaudis, ceterisque huiusmodi hominibus legerat Antonius, qui cum et ut omnes milites in anulo ferreo essent, neque censum equestrem haberent, inter equites non potuerunt numerari. Itaque haec de prima, quam instituit post longam intercapidinem Augustus, lectione iudicum intelligenda erant. (Suet. Oct. 29) Nam postea fieri non potuit, quin secunda et tertia (v. p. 50, n. 93) decuria iudicum equestre nomen anulumque sumerent, quum et censi inter equites essent, et quarta multis minoris census decuria (Suet. Oct. 32) eodem iudicum nomine contineretur. Quod tertio loco dicit de turmis equitum, id paullo post c. 8 §. 34 ad Gracchorum aetatem rectius refert. Iudicum autem appellatione separari eum ordinem primi omnium instituere Gracchi, discordi popularitate in contumeliam senatus; mox ea debellata, auctoritas nominis vario seditionum eventu circa publicanos substitit, et aliquamdiu tertiae vires publicani fuere. Hactenus recte. sed iam coniectura facta e Ciceronis locis addit: Marcus Cicero demum stabilivit equestre nomen in consulatu suo, Catilinanis rebus, ex eo se ordine profectum esse celebrans, eiusque vires peculiari popularitate quaerens. Ab illo tempore plane hoc tertium corpus in republica factum est, coepitque adiici senatui populoque Romano et equester ordo. Qua de caussa et nunc post populum scribitur, quia novissime coeptus est adiici. De quo loco dixi p. 45, not. 54. p 26, not. 27 Denique c 7 § 31, ut iam Madvigius de tribb. aerr. p. 17 n. 26 animadvertit, „suo more declamatorie neque res neque nomina neque tempora distinguens, nonnulla de iudicibus congessit, hoc quoque narrans, decurias pluribus discretas fuisse nominibus, tribunorum aeris et selectorum et iudicum", quum decuriae omnes essent iudicum selectorum, in earum una autem tribuni.

[3]) v. p. 6.

[4]) v. p. 17. Liv. 9, 7. (Post Caudinam cladem) tabernae circa forum clausae, iustitiumque in foro sua sponte coeptum, priusquam indictum, lati clavi, anuli aurei positi. cf. Liv. 26, 36. Flor. 2, 6.

Bello Punico secundo hoc insigni usos fuisse equites equo publico, e Livii quodam loco conieci: [5]) ab his non multo post Gracchos, usurpantibus paullatim insignia dignitatis equestris iudicibus, [6]) et nomen et anulus ad omnes eos pervenit, qui censi essent in numero equitum. [7]) Ab hoc tempore formula illa donare anulo aureo, i. e. censu equestri, usu recepta est, cuius vim copiose explicat Cicero, [8]) exempla infra complura afferentur. Cum anulo equestris dignitas,[9]) sedesque in XIV coniuncta: censu amisso etiam anulus deponebatur. [10])

2. Quemadmodum autem Romana civitas, principio cum coloniis municipiisque, mox cum Italia universa communicata, postremo magno provincialium numero data est, sic equester ordo, qui initio continebatur urbe, per orbem terrarum totum propagabatur. Nam alii deductis coloniis agros acceperant, [11]) in quibus etiam equites equo publico erant, [12]) alii in provinciis municipiisve negotiorum caussa vivebant, [13]) alii ipsi nati

---

[5]) v. p. 17.

[6]) Ab initio enim his carebant. V. p. 13. 25.

[7]) Non obstat huic sententiae Plinius l. l. 6 §. 21: Ne tum quidem (belli socialis tempore) omnes senatores habuerunt, (anulum) utpote cum memoria avorum multi Praetura quoque functi in ferreo consenuerint, sicut Calpurnium et Manilium, qui legatus Caii Marii fuerat Iugurthino bello, Fenestella tradit, et multi L. Fufidium illum, ad quem Scaurus de vita sua scripsit; in Quinctiorum vero familia aurum ne feminas quidem habere mos fuerit. Nam et rara sunt exempla, et propter id ipsum, quod a consuetudine recedunt, notantur, et suas quaeque caussas habere videntur. Ut de Quinctiis tradit ipse Plinius; adiicere Marii exemplum potuisset, quod alio loco commemorat, qui non ante tertium consulatum anulum aureum sumpsit, non sine certo consilio.

[8]) Vid. III, c. 2. p. 59. Cic. Verr. 3, 80, 185. „Saepe nostri imperatores, superatis hostibus, optime re publica gesta, scribas suos anulis aureis in concione donaverunt; tu vero quibus rebus gestis, quo hoste superato, concionem donandi caussa advocare conatus es? — 187. Anulo aureo scriba est donatus, et ad eam donationem concio est advocata. Quod erat os tuum, quum videbas in concione eos homines, quorum ex bonis anulus aureus donabatur, qui ipsi anulos aureos posuerant, liberisque suis detraxerant, ut esset, unde scriba tuus hoc tuum munus ac beneficium tueretur? Quae porro praefatio tuae donationis fuit? Illa scilicet vetus atque imperatoria? Quando tu quidem in proelio, in bello, in re militari: cuius ne mentio quidem te praetore ulla facta est. — Ita eundem anulum ab alio datum, testem virtutis duceremus: abs te donatum, comitem pecuniae iudicamus“. cf. 2, 1. extr. 2, 2, 11. 2, 3, 76. Sueton. Caes. 33. „Existimatur etiam equestres census pollicitus singulis: quod accidit opinione falsa. Nam, quum in alloquendo exhortandoque saepius digitum laevae manus ostentans affirmaret, se ad satisfaciendum omnibus, per quos dignitatem suam defensurus esset, anulum quoque aequo animo detracturum sibi; extrema concio, cui facilius erat, videre concionantem, quam audire, pro dicto accepit, quod visu suspicabatur: promissumque ius anulorum cum millibus quadringenis, fama distulit“. ib. 39: „Laberius, donatus quingentis sestertiis et anulo aureo sessum in quattuordecim e scena per orchestram transiit.“ Ovid. Amor. 3, 8, 9.

Ecce recens dives parto per vulnera censu
Praefertur nobis sanguine factus eques.

Per imperatorem imprimis propter bellicam virtutem donatum esse anulum et haec docent, et ea, quae lib. III c. 2 §. 2 not. 76 attuli. De posteriore tempore cf. Orell. Inscr. n. 3049. L. Asconio — a Divo Traiano ex militia in equestrem dignitatem translato. n. 3048. T. Auridio P. F. Nicephoro primipilo leg. II. Adiut. in bello contra Dacos ab invictissimo imp. nostro Traiano feliciter patrato castrensi corona donato et in ordinem equit Rom. adscito.

[9]) Praeter ea, quae n. 8 laudavi, v. Suet. Vit. 12. „Ac primo imperii die aureis donavit anulis super coenam, quum mane, rogantibus pro eo cunctis detestatus esset severissime talem equestris ordinis maculam“. Haec etiam Plin. l. l. c. 7.

[10]) Plin. H. N. 33, 54. „Vidimus et ipsi Arellium Fuscum, motum equestri ordine ob insignem calumniam — ex argento anulos habentem“. cf. Iuven. 11, 42.

Talibus a dominis post cuncta novissimus exit
Anulus, et digito mendicat Pollio nudo.

[11]) Liv. 37, 57, 7. 34, 42. 35, 9, 7. 40, 34, 2.

[12]) Cic. Phil. 6, 5. Etiam de or. 2, 71, 287 idem commemorat M Antistium Pyrgensem ex Pyrgis colonia, equitem Romanum equo publico.

[13]) Notus est Ciceronis amicus et Brundusii hospes Laenius Flaccus, de quo v. Varro de re rust. 3, 5. Cic.

in municipiis, magistratus municipales gerebant,[14]) aliis cum civitate equestris dignitas data est.[15]) Neque modo Cicero, ille, ut Iuvenalis ait,[16])

— novus Arpinas ignobilis et modo Romae
Municipalis eques,

sed maxima pars eorum, quorum nomina hic saepe commemorat, in municipiis nati erant, ut Cluentius Larinas, eq. R.,[17]) Accius Pisaurensis, eq. R.,[18]) P. Cominius Spoletinus eq. R.,[19]) M. Orfius, eq. R. ex municipio Attellano,[20]) quibus alii sexcenti addi possunt.[21]) Quoniam autem, qui cives Romani in coloniis municipiisque vivebant, ii non Romae, sed a Quinquennalibus[22]) in suis civitatibus ex formula Censorum Romanorum[23]) censebantur,[24]) etiam equites Romani, qui et habitabant in municipiis, et magistratus municipales gerebant, in tabulas municipii censorias[25]) referebantur. Atque in plerisque numerus eorum, qui censum equestrem habebant, perexiguus fuisse videtur,

---

pr. Planc. 41 in. pr. Sext. 63. ad fam. 14, 4, 3. Plin. H. N. 10, 72. Inter aratores Siciliae, equites Romanos, (Cic. Verr. 3, 12. 14. 24. 25) Lollius erat, senex XC annorum, qui iam aetate et morbo impeditus ad testimonium dicendum Romam venire non potuit. Habitabat cum liberis in Aetnensi. c. 25. His exemplis multa addi possunt.

14) V. nott. 26. 27.

15) Huius rei antiquissimum exemplum invenisse videor apud Livium 8, 11, 15., qui narrat, anno 339 a. Chr. equitibus Campanis, qui bello non descivissent, civitatem datam, monumentoque eius rei aeneam tabulam in aede Castoris Romae fixam esse. Vectigal quoque iis Campanum populum iussum esse pendere, in singulos quotannis (fuere autem MDC) denarios nummos quadringenos quinquagenos. Equidem non dubito, quoniam et nobilissimi inter suos, et cum primoribus Romanorum hi Campani coniuncti affinitate fuerunt, (v. Liv. 23, 2) quod vectigal quasi aes quoddam equestre a suis acceperunt, denique quod eorum nomina ad aedem Castoris figebantur, cuius sacra ad equites equo p. pertinebant, (v. c. 3, 2) et ad quam, ni fallor, affixum erat album equitum, ut senatorum nomina postea in curia exposita erant, (Dio 55, 3. fr. 137 p. 56 R. Tac. Ann. 4, 42) ut militares catalogi publice proponebantur, (Dio fr. 137) ut multa aerearum tabularum millia, SCta, plebiscita, foedera, privilegia in Capitolio, (Suet. Vesp. 8) ut militaria denique privilegia, honestaeque missiones in muro post templum Divi Aug. ad Minervam (Marini Atti 2, p. 437) legenda, ut ait Plin. iun. praesentibus futurisque prodebantur, — non dubito, inquam, quin hi Campani non modo in civitatem, (v. Walter R. R. p. 193) sed etiam inter equites recepti fuerint. Posterioris aetatis exempla v. not. 33.

16) Sat. 8, 236.

17) Cic. pr. Cluent. 57.

18) Cic. Brut. 78, 271. pr. Cluent. 23, 62. cf. Marm. Pisaur. n. 131.

19) Cic. Brut. 78, 271 et saepe in Corneliana.

20) Cic. ad Q. fr. 2, 14.

21) ex. g. ap. Plin. H. N. 26, 3 Perusinus quidam Eques Rom. est. ib. 29, 12 eques R. e Vocontiis.

22) De his, qui etiam Curatores et interdum Censores appellantur, — Censoria enim in municipiis coloniisve funguntur potestate — v., ne multos laudem. Savigny G. d. Röm. R. im Mittelalt. I, p. 41 sqq. Dirksen ad Tab. Her. p. 184 sqq.

23) id. p. 194.

24) Tab. Her. aer. Neap. c. 11 lin. 68: Quae municipia, coloniae praefecturae civium Romanorum in Italia sunt, qui in iis municipiis, coloniis, praefecturis maximum magistratum maximamve potestatem ibi habebit, (cf. Dirks. p. 184 sqq.) tum cum Censor aliusve quis magistratus Romae populi censum aget, is diebus sexaginta proximis, quibus sciet Romae censum populi agi, omnium municipum, colonorum suorum, quique eius praefecturae erunt, qui cives Romani erunt, censum agito, eorumque nomina, praenomina, patres aut patronos, tribus, cognomina, et quot annos quisque habet, et rationem pecuniae, ex formula census, quae Romae ab eo, qui tum censum populi acturus erit, proposita erit, ab iis iuratis accipito, eaque omnia in tabulas sui municipii referunda curato, eosque libros per legatos, quos maior pars Decurionum, Conscriptorum, ad eam rem legari, mitti censuerint, tum cum ea res consuleretur, ad eos, qui Romae censum agent, mittito — isque censor — ex iis libris, quae ibi scripta erunt, in tabulas publicas referunda curato, easque tabulas eodem loco, ubi ceterne tabulae publicae erunt, (i. e. in atrio Libertatis in Aventino) in quibus census populi perscriptus erit, condendas curato. Qui pluribus in municipiis, coloniis, praefecturis domicilium habebit, et is Romae census erit, quo magis in municipiis, colonia, praefectura hac lege censeatur, eorum hac lege nihil rogatur.

25) Cic. pr. Cluent. 14. „Illum tabulas publicas Larini censorias corrupisse, decuriones universi iudicaverunt". De tabulis publicis Heracleensium cf. Cic. pr. Arch. 4.

iique aut decurionum aut duumvirorum, aut quatuorvirorum munere aliisve magistratibus functi,[26] aut patronorum titulo honorati sunt:[27] in quibusdam mercatura opibusque florentibus non pauci eius census homines inveniuntur, ut Gadibus Strabonis aetate quingenti erant,[28] qui equestria in theatro Romano more habebant,[29] non minor numerus erat Patavii.[30] Hi inter se ordinem collegiumve efficiebant, quod quotiescunque commemoratur in inscriptionibus, neque de Augustalibus,[31] neque de alio genere hominum municipalium, sed de iis intelligendum est, qui, viventes in municipiis, quadringenta, ut ceteri Equites Romani, possiderent.[32] Neque tamen his ter-

---

26) Coelius eq. R. decurio erat Puteolis. Cic. pr. Coel. 2 Oppianicus eq. R. (v. Cic. pr. Cluent. 39) se ipsum fecit IVvirum Larini. ib. 8. multaque alia exempla ex inscriptionibus afferri possunt. V. Orell. n. 3733. 3744. 3758. 3777. 3840. 3853. 3890. 3900. 3902. 3909. 4010. 4039. 4052. Saepe equites pro municipiis suis legationes suscipiunt. Cic. pr. Planc. 8, 21. „Huius praefectura plena virorum fortissimorum, sic ut nulla tota Italia frequentior dici possit. Quam quidem nunc multitudinem videtis, iudices, in squalore et luctu supplicem vobis. Hi tot equites Romani, tot tribuni aerarii (cf. p. 42 n. 35) quid dignitatis huius petitioni attulerunt?“ cf. Cic. Verr. 1, 3. 2, 2, 46. 2, 3, 31. pr. Sext. 33, 63. pr. Cluent. 69. ad fam. 13, 11. Postea ne imperatores quidem municipales honores dedignati sunt. V. quos l. Marini Atti 1 p. 174 a.

27) Patronorum duplex genus est, alterorum, qui, „dignitates Principis iudicio consecuti,“ (Dig. 50, 3. de alb. scrib. 2) a muneribus municipalibus liberati erant: alterorum, quibus, quanquam inter Decuriones non erant, honorarius tamen curiae patronatus Decurionum suffragio datus est. v. Savigny G. d. Röm. R. im M. 1 p. 68. In albo Decurionum Canusii ap. Fabretti p. 598. Orell. n. 3721. triginta patroni e Senatorum Romanorum numero, duo patroni Equites Romani inveniuntur; equitesque, qui tamen propter hunc patronatum non indicandi sunt omnes in municipiis habitavisse, habes ap. Orell. n. 3703. 3729. 3768. 3835. 3853. 3858. 3888. 3899. Grut. p. 480, 5. Doni p. 183 n. 88.

28) Gades enim municipium erat. v. locos ap. Ukert G. d. G. u. R. 2, p. 386. De equitibus Strab. 3 p. 271 T. Ἐπεὶ πλήθει γε οὐδεμιᾶς ἂν ἀπολείπεσθαι δόξειε τῶν ἔξω Ῥώμης πόλεων· ἤκουσα γοῦν ἐν μιᾷ τῶν καθ' ἡμᾶς τιμήσεων πενταχοσίους ἄνδρας τιμηθέντας ἱππικοὺς Γαδειτανούς, ὅσους οὐδένας οὐδὲ τῶν Ἰταλιωτῶν πλὴν τῶν Πανταουΐνων.

29) Pollio ap. Cic. ad fam. 10, 32, 2. (Balbus) ludis, quos Gadibus fecit, Herennium Gallum histrionem, summo ludorum die anulo aureo donatum in XIV sessum deduxit.

30) Strabo l. l.

31) V. Eybenium c. 12. p. 1107. Multis enim in municipiis tres ordines censebantur, Decuriones, Augustales, plebs. v. Orelli n. 3939. 3701. 3703. 3807. 3677 et saepius. Decuriones nonnunquam Senatorum, ut Duumviri Consulum nomen usurpabant, (Or. n. 2279 et Vol. 2 p. 172) sed Augustales equites appellatos fuisse iam idcirco improbabile est, quod in plerisque municipiis equites Romani erant. Itaque utrique una inveniuntur in inscriptionibus, ut ap. Orell. n. 3939. A. Antonio A. f. Pomp. Pelagiano IIII Viro equiti Romano rarissimo innocentissimoque curatori R. P. et patrono Decuriones Augustales et plebs Petelinorum. Neque puto sententiae meae obstare inscriptionem Lugdunensem ap. Grut. 431, 1. Or. n. 4020, qua memoriae traditur, S. Ligurium quendam in largitione ob honorem perpetui Pontificatus acceptum dedisse decurionibus denarios V, ordini equestri, VIviris Augustalibus, negotiatoribus vinariis den. III, et omnibus corporibus Lugduni licite coeuntibus denarios II. In hac enim post decuriones nominantur equites, alioquin his et censu et dignitate longe superiores, (v. n. 26. 27) tenentque Augustalium locum. Sed puto in hac re multum inter municipia interfuisse. Nam erat quidem decurionum certus census, sed non idem in omnibus municipiis; creabanturque decuriones ex iis, qui in quoque municipio summum censum habebant. Ex. c. Comi decuriones centum millium censum habebant. (Plin. ep. 20, 19). Quod si in hac civitate aliquis erat, qui quadruplex eius summae, i. e. censum equestrem possideret, in magno is esse honore debuit. Contra Gadibus, ubi quingenti huius census homines erant, decuriones autem, si coniectura fieri potest a ceteris municipiis, (Savigny l. l. p. 68) non plures quam centum, certe pauciores quingentis, si decuriones legebantur e locupletissimis, fieri non potuit, quin etiam equites Romani secundum locum tenerent. Lugdunum autem et Narbo civitates Galliae maximae erant, illud mercatura florebat, viisque cum Gallia tota Italiaque coniunctum erat: ita accidere potuit, ut etiam Lugduni essent, qui maiorem equestri censum haberent, equitesque Romani secundum locum tenerent.

32) Ita intelligenda est inscr. Narbonn. ap. Or. n. 2489., in qua commemoratur collegium trium equitum Romanorum a plebe (i. e. non Romae natorum, sed a plebe Narbonnensi,) triumque libertinorum. Plebs enim vel populus opponitur Decurionibus (Or. n. 3704. 3725. 3726. 3728. 3763. .V. Crameri diss. de iuvenib. ap. Callistratum Opusc. p. 61; qui quae eodem loco de equitibus municipalibus addit, ad ea redeunt, quae in nota antecedente refutavi. Longe rectius,

minis ordo equester constitit, post Caium etiam peregrini multi in eum sunt recepti.[33]) Longe perniciosius tamen dignitati ordinis fuit, quod, quum ab eo antiqua severitas, qui aut ingenui aut integrae famae non essent, prohibuisset, post bella civilia libertinis commaculatus est. Nam e peregrinis ii cum maxime adsciscebantur, qui domi apud suos essent nobiles: simulac libertinis ad splendorem equestrem via patuit, is ordo, qui „ab ingenuis separabatur, communicatus est cum servitiis". Non commemorem prioris aetatis rara exempla, ut Roscii Comoedi, qui anulum a Sulla accepit:[34]) etiam ab Augusto paucis donatus est bello civili, Philopoemeni,[35]) Menae,[36]) Vedio Pollioni,[37]) postea Musae:[38]) a pluribus iam tum, ut videtur, iniuria usurpatus. Sub Tiberii demum principatu „C. Asinio Pollione, C. Antistio Vetere Css. (a. 23) constitutum est, ne cui ius id esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno sestertia CCCC census fuisset et lege Iulia theatrali in XIV ordinibus sedendi".[39]) Quae lex non diu valuit. Nam quanquam Claudius libertinos, qui se pro equitibus Romanis agerent, publicavit:[40]) Domitianus „suscepta correctione morum licentiam theatralem promiscue in equite spectandi inhibuit:"[41]) Alexander Severus quoque conatus est, libertinorum turbam ab ordine prohibere:[42]) tamen id insigne, et datum saepius[43]) et gregatim appeti coeptum, „adeo coepit esse promiscuum, ut iam apud Claudium Caesarem, in censura eius, unus ex equitibus Flavius Proculus quadringentos ex ea caussa reos postularet".[44]) Inde ab hoc igitur tempore sedebant in equestribus illi

Lenonum pueri quocunque in fornice nati:

---

quamvis breviter, de his dixit Gorius inscr. Etrur. 2 p. 288. Neque incertum esse puto, equites Arretinos, Florentinos, Alcetienses, Reatinos (Or. n. 3713) equites Romanos esse. cf. not. 21.

33) Hoc primum per Caligulam factum vulgo tradunt, (Walter p. 356). laudantes Dion. 59, 9. *Τοῦ δὲ τέλους τοῦ τῶν ἱππέων ὀλιγανδροῦντος, τοὺς πρώτους ἐξ ἁπάσης καὶ τῆς ἔξω ἀρχῆς τοῖς τε συγγενέσι καὶ ταῖς περιουσίαις μεταπεμψάμενος κατελέξατο.* Sed Dio non de ordine equestri loquitur, sed de equitibus equo publico. Hoc enim apud Dionem *τέλος* significat, neque verum est, peregrinis cum civitate dignitatem equestrem Caium primum dedisse, ut Arminii exemplum docet, Equitis Romani sub Augusto, (Vell. 2, 118) neque denique hoc tempore, id quod ex hoc ipso capite apparet, penuria equitum, sed potius nimia multitudine ordo laborabat. Explicationem meam confirmat Suet. Vesp. 9. Amplissimos ordines, et exhaustos caede varia, et contaminatos veteri negligentia, purgavit, supplevitque, recenso Senatu et Equite; summotis indignissimis, et honestissimo quoque Italicorum ac provincialium allecto. In quibus nisi extrema ad senatum solum pertinent, equites intelligendi sunt equo publico. Nam in ordine eq. iam ante Ciceronis tempora Italici erant. Claudii Neronisque tempore etiam inter Iudaeos Equites R. non pauci erant. Ioseph. B. Iud. 2, 14, 9. *Ὃ γὰρ μηδεὶς πρότερον, τότε Φλῶρος ἐτόλμησεν, ἄνδρας ἱππικοῦ τάγματος* (ita dicit ordinem eq. V. huius libri c. 3 not. 34) *μαστιγῶσαι πρὸ τοῦ βήματος, καὶ σταυρῷ προσηλῶσαι, ὧν εἰ καὶ τὸ γένος Ἰουδαῖον, ἀλλὰ τὸ γοῦν ἀξίωμα Ῥωμαικὸν ἦν.*

34) Macrob. Sat. 2, 10.

35) Suet. Oct. 27. Dio 47, 7. Drum. 4, 238.

36) Drum. 4, 572.

37) Plin. H. N. 9, 23. Dio 54, 23.

38) Dio 53, 30.

39) Plin. H. N. 33, 8.

40) Suet. Claud. 25.

41) Suet. Dom. 8.

42) Lamprid. Alex. Sev. 19.

43) Pallas libertus accepit a Claudio (Plin. epist. 8, 6, 4): Icelus a Galba (Suet. Galb. 14. Tac. H. 1, 13): Asiaticus a Vitellio (Suet. Vit. 12. Tac. H. 2, 57): Servus Verginii Capitonis in iisdem anulis, quos acceptos a L. Vitellio gestabat, patibulo affixus est. Tac. H. 4, 3. Etruscus accepit a Domitiano. Stat Sylv. 3, 3, 144.

44) Plin. H. N. 33, 8.

eratque

Iam princeps equitum, qui magna voce solebat
Vendere municipes fricta de merce siluros.[45])

Postquam autem, neglecta omni aut generis aut integritatis vitae ratione, censu solo pervenire in ordinem cuivis licuit, quo plures in eo indigni et turpes essent, eo magis necesse fuit, honorem ipsum vilescere. Ita factum, ut ab Hadriano inde inter vulgaria manumissionum signa referri anulus, quo ingenuitatem assequerentur libertini coeperit, neque aliter hi, ut Arrianus dicit, se commode posse vivere existimarent, nisi fruerentur anulorum iure.[46]) Ac ne hoc quidem plenam ingenuitatem assecuti sunt, quod initio factum videtur.[47]) Nam quum patrono id deberetur, ut nihil sine eius arbitrio de liberti capite constitueretur, quamvis hoc iure ornati ceterum ingenuis aequa essent conditione, ad honores et dignitates adspirarent, nec militia senatoriisque nuptiis submoverentur, „patronorum tamen ratione libertis accensiti sunt, ut adeo eorum non tam conditio mutata videretur, quam honor auctus. Hinc est, quod ab istiusmodi libertorum hereditatibus patroni non excluderentur; hinc, quod occiso domino quaestioni subderentur: hinc, quod patronis reverentiam adhibere deberent, et Commodus legatur ademisse ius anulorum libertis, qui invitis aut ignorantibus patronis accepissent. Recte igitur Marcianus [48]) affirmat, eum, qui ius anulorum impetraverit, adhuc custodire libertorum ordinem: et Ulpianus, [49]) vivere eum tanquam ingenuum, mori quasi libertum. Hinc quoque in aprico est, quid Impp. Diocletianus et Maximianus [50]) sibi voluerint, dum rescribunt: Aureorum usus anulorum beneficio principali tributus, libertatis, quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis praestat“.

---

[45]) Iuven. 4, 32. cf. p. 59.

[46]) Arrian. Epict. 3, 26. Dio 48, 45. *τὸ δὲ δὴ δακτυλίων τοιόνδε ἐστίν· οὐδενὶ τῶν πάλαι Ῥωμαίων, οὐχ ὅτι τῶν δουλευσάντων ποτὲ, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἐν ἐλευθέρῳ γένει τραφέντων δακτυλίοις χρυσοῖς, πλὴν τῶν τε βουλευτῶν καὶ τῶν ἱππέων χρῆσθαι ἐξῆν· καὶ διὰ τοῦτο τοῖς ἐξελευθέροις, οἷς ἂν ὁ τὸ κράτος ἔχων ἐθελήσῃ, καίτοι καὶ ἄλλως χρυσοφοροῦσιν, ὅμως ἐν τιμῆς μέρει, ὡς καὶ βελτίοσιν ἢ κατὰ ἀπελευθερίαν, ἱππεύειν τε δυναμένοις, δίδονται.* Et Tertullianus, Dione non multo recentior, de resurr. 57: Atque et vestis albae nitore et aurei anuli honore, ac patroni nomine ac tribu mensaque honorantur. Septimius Severus inter alia, quibus morem militarem corrupit, militibus, qui eo usque in ferreo anulo fuerant, (App. B. Pun. 104) aureum ferre concessit. Herodian. 3, 8, 7. Quo fortasse pertinet etiam Vopiscus v. Aurel. 7. Post Iustinianum ne principis quidem venia libertis opus erat. Nov. 78, 1: Propterea sancimus, si quis manumittens servum aut ancillam suam cives denuntiaverit Romanos, neque enim aliter licet, sciat ex hac lege, quod qui libertatem acceperit, habebit subsequens mox et aureorum anulorum ius, et non iam ex necessitate hoc a principibus postulabit. Isidor. Origg. 19, 32, 3. vera, ut solet, miscens cum falsis: „Anulum aureum neque servus, neque libertinus gestabat, — sed anulo aureo liberi utebantur, libertini argenteo, servi ferreo“. Inde est etiam, quod Malalas tradit 7, p 182 Dindorf, Vindicium per Brutum manumissum, cum tribus alapis aureum anulum accepisse. Quod nos de anulo aureo, id de alio insigni senatorum Servius ad Aen. 8, 458. „Crepidas, quas primo habuere senatores, post equites Romani, nunc milites.“

[47]) Quae sequuntur usque ad finem capitis, Crameri sunt, desumpta e diss. eius de iuris Quiritium et civitatis discrimine. Opusc. p. 36. Ibi v. ICtorum locos, quos repetere nolui. cf. Walter R. R. p. 352.

[48]) Dig 27, 1. de excus. tut. 14, 2.

[49]) Dig. 38, 2. de bon. libert. 3.

[50]) Const 2. Cod. 6, 8. de iure aur. anul. Const un. Cod. ad L. Vicell. (9, 21.)

Cap. II.

Libertini. Ordinis interitus.

1. Sed non solum insignia equestris ordinis cum libertinis communicata, sed etiam divitiae, officia, dignitas. Nam ex quo res Romana in unius manu fuit, neque magistratus reipublicae ab officiis domus Augustae nisi nomine differebant: quo firmiores in re publica principatus radices egit, eo magis respublica ad formam rei privatae principis administrari coepta est. [1]) Atque initio quidem inter provinciarum procurationes reique privatae principis interesse id videbatur, quod illis viri equestris ordinis, his libertini praeponebantur; sed etiam illud discrimen brevi sublatum est. Iam Augustus ad dominationem stabiliendam ne libertorum quidem operam dedignatus est; multos in honore et usu maximo habuit, [2]) nonnullos sacerdotiis, [3]) quosdam procurationibus amplis evexit, [4]) et virgines quoque Vestales, e patriciis olim captas, e libertinis legit. [5]) Tiberius Vetrasio Pollione, Aegypti praefecto, mortuo, ex Caesarianis libertis Ibero cuidam ad tempus quoddam provinciam mandavit, [6]) Claudius totum imperium uxorum libertinorumque arbitrio gubernavit, [7]) frustraque Vitellius ministeria principatus, per libertos agi solita, in equites Romanos disposuit. [8]) Neque in animo est, quae post haec tempora penes libertos fuerint, explicatius enumerare, quum non equestres solum honores, sed senatorios etiam affectaverint. Contra equites, quantum ex raris historicorum testimoniis intelligitur, ad contemtissimum quodque ministerii genus, libertorumque servitutem delabi. Iam sub Tiberio novo officio a voluptatibus praepositum lego equitem Romanum: [9]) sub Nerone ex hoc ordine conscripti illi Augustani, qui „dies et noctes plausibus personare, formam principis vocemque Deum vocabulis appellare solebant“: [10]) sub Galba ex eodem lecti milites, qui excubias agerent nomine evocatorum, [11]) donec sub Hadriano, nihil iam libertis dignitate praecedentes, [12]) ab epistolis et libellis equites esse coeperunt. [13]) Ad haec semel

---

[1]) cf. Suet. Ner. 37. (Nero saepe iecit, se) provincias et exercitus equiti Romano ac libertis permissurum.

[2]) Suet. Aug. 67.

[3]) Porphyr. ad Hor. Sat. 2, 3, 281: „Ab Augusto enim Lares, id est dii domestici, in compitis positi sunt; ex libertinis sacerdotes dati, qui Augustales sunt appellati“. et Acro: Iusserat enim Augustus in compitis deos Penates constitui, ut studiosius colerentur. Erant autem libertini sacerdotes, qui Augustales dicuntur“. Ex his, ut acute animadvertit Orellius Inscr. 2, p. 197., Augustalium ordo, qui inprimis in municipiis invenitur, medius ille inter Decuriones et plebem, ortus est.

[4]) Dio 52, 25. 53, 15., quem exscripsi III c. 4 not. 61. Quem locum non ita intelligendum esse, quasi procuratores privati fisci e libertis, procuratores provinciarum ex equitibus sumpserit, contra H. Prideaux ad Marm. Ox. p. 137 ostendit Ph. a'Turre Mon. vet. Antii I c. 6. cf. Suet. Vitell. 2. Libertus fuit Licinius ille infamis avaritia procurator Galliae sub Augusto. Dio 54, 21 ibique interpp.

[5]) Dio 55, 22. Heinecc. ad leg. Pap. et Popp. p. 4 sqq.

[6]) Dio 58, 19 extr.

[7]) Suet. Claud. 25. cf. Tac. H. 5, 9: Iudaeam provinciam modo equitibus, modo libertis permisit.

[8]) Tac. H. 1, 58.

[9]) Suet. Tib. 42. De hoc officio v. Marini Atti 1, p. 95 b.

[10]) Tac. Ann. 14, 15. cf. Suet. Ner. 20. Dion. 61, 20. 63, 18.

[11]) Suet. Galb. 10.

[12]) Spart. Hadr. 9. „Aegros bis ac ter die et (i. e. atque adeo) nonnullos equites Romanos ac libertos visitavit.“

[13]) id. ib. 22.

scena arenaque commaculati, [14]) non modo frustra coercebantur acerrimis legibus, sed quominus in opera scenae arenaeque edenda SCto tenerentur, famosi iudicii notam sponte subibant. [15]) Iam sub Augusto legis, quam ipse dederat, vis elusa est: [16]) sub Tiberio, [17]) Caligula, [18]) Claudio, [19]) Nerone, [20]) saltaverunt equites Romani vel pugnaverunt. Sub Vitellio postremum haec infamia lege prohibita: [21]) postea eiusmodi leges data non invenio: non quasi Vitellii lex obtinuerit, sed eo dedecoris pervenerat totus ordo, ut revocari ad splendorem veterem nequire iam videretur.

2. Neque tamen splendor ordinis prius evanuit, quam vires fractae essent. Quae quum fuissent olim in societatibus publicanorum, qui et regnaverant in provinciis et in urbe potentes fuerant, immutata sub imperatoribus vectigalium exactione, intelligi potest, quantum minutae fuerint. De qua mutatione dicere impeditum est, quum neque ad quem ea auctorem sit referenda, neque quibus finibus circumscripta, neque quo tempore instituta fuerit, memoriae proditum acceperimus. Nam Tiberii aetate „frumenta et pecuniae vectigales, cetera publicorum fructuum societatibus equitum Romanorum, ut antea, agitabantur“: [22]) eaedem sub Nerone,[23]) quaedam etiam sub Vespasiano exstitere: [24]) sed inde ab Hadriano, ut videtur, decumanorum, principum illorum quidem et quasi senatorum, ut Cicero ait, inter publicanos, [25]) itemque scriptuariorum nomen abolitum: [26]) frumenti pecudumque exactio ad magistratus quosdam novos translata, sub quorum dispositione constituti sunt frumentarii, pecuarii, suarii, qui frumenti, pecudum, vini, olei vectigalia per provincias colligerent. Reliquae societates pleraeque sub imperatoribus duravere, multaeque de iis exstant leges imperatorum, in quibus tamen nulla memoria equitum. Nimirum paullatim, ut census, ius anuli aurei, officia equitum, sic privilegium societatum cum libertinis ceterisque civibus communicatum erat.

---

[14]) Dio 54, 2. Suet. Oct. 43.

[15]) Suet. Tib. 35. Senec. Controv. 1, I, p. 66 ed. Amst. „Torpent ecce ingenia desidiosae iuventutis, nec in ullius honestae rei labore vigilatur. — Cantandi saltandique nunc obscoena studia effeminatos tenent“. et q. seq. Senec. de provid. 2: „Nobis interdum voluptati est, si adolescens constantis animi irruentem feram venabulo excepit, si leones incursum interritus pertulit: tantoque spectaculum est gratius, quanto id honestior fecit“. Senec. epist. 99: „Adspice illos iuvenes, quos ex nobilissimis domibus in arenam luxuria proiecit, adspice illos, qui suam alienamque libidinem exercent“. et q. s.

[16]) Dio 56, 25. *Καὶ τοῖς ἱππεῦσιν, ὃ καὶ θαυμάσειεν ἄν τις, μονομαχεῖν ἐπετράπη. αἴτιον δὲ, ὅτι ἐν ὀλιγωρίᾳ τινὲς τὴν ἀτιμίαν τὴν ἐπ' αὐτῷ ἐπικειμένην ἐποιοῦντο· ἐπεὶ γὰρ μηδ' ὄφελός τι τῆς ἀποῤῥήσεως ἐγίγνετο, καὶ τιμωρίας μείζονος ἄξιοι εἶναι ἐδόκουν, ἢ καὶ ἀποτρεπήσεσθαι ἐνομίσθησαν, συνεχωρήθη τοῦτό σφισι ποιεῖν. Καὶ οὕτως ἀντὶ τῆς ἀτιμίας θάνατον ὠφλίσκανον. οὐδὲν γὰρ ἧττον ἐμονομάχουν, καὶ μάλισθ' ὅτι δεινῶς οἱ ἀγῶνες αὐτῶν ἐσπουδάζοντο.*

[17]) Dio 57, 12. 14.

[18]) id. 59, 10.

[19]) id. 60, 7.

[20]) id. 61, 9. 17. Tac. Ann. 14, 14. 20. H. 3, 62. Suet. Ner. 4. 12.

[21]) Dio 65, 6. Tac. Ann. 2, 62.

[22]) Tac. Ann. 4, 6.

[23]) id. ib. 13, 50. Senec. ep. 119. 120.

[24]) Suet. Vesp. 1.

[25]) Cic. Verr. 2, 2, 71, 175.

[26]) Qui in inscriptionibus leguntur decumani, milites sunt leg. X. v. Orell. Inscr. n. 873. Ceterum v. Burm. de Vectig. p. 141 sqq. Bouchaudii dissertationem (Mem. de l'Acad. des Inscr. Vol. XXXVIII) non vidi.

Cap. III.

Equites equo publico.

1. **H**ic fuit finis equestris ordinis, qui, ortus consortio militiae equestris, tum et negotiorum societate, et, postquam tertius inter nobilitatem plebemque exstitit, iudiciorum communi munere atque partium studio inter sese arcte coniunctus, primum desuetudine armorum iners factus, mox exemtus factionum dissidio, per breve etiamtum tempus et opibus et specie quadam antiquae dignitatis florebat: postremo, privilegiis et insignibus ordinis cum civibus ceteris libertisque communicatis, iam ante Hadriani, ut videtur, aetatem, dissolutus commixtusque cum plebe diffluxit. Longe diutius duravit corpus equitum equo publico, quod, certis legibus circumscriptum, consortionis indignorum aliquamdiu expers fuit. Nam cum ceteris, quas commemoravi, huius corporis cerimoniis recognitio sub imperatoribus usque ad Constantinum fere permansit, quanquam aliter atque antea instituta est.[1]) Quippe iam Augustus, quanquam id, quod Maecenatem suadentem facit Dio, sub hoc effectum nondum esse videtur, ut subcensor quidam ab imperatore crearetur, qui genera, facultates, moresque senatorum et equitum examinaret atque inspiceret,[2]) tamen sublata potestate censoria triumviratum legendi senatus, alterumque recognoscendi turmas equitum excogitaverat,[3]) et sub Tiberio fuit L. Volusius, censoria potestate legendis equitum decuriis functus.[4]) Et sicuti in provincias missi sunt ad census accipiendos, qui in inscriptionibus aut Censitores aut a Censibus accipiendis audiunt,[5]) sic in inscriptione Antiana, si recte eam Ph. a Turre explicuit, M. Aquilius est, a Censibus equitum Romanorum:[6]) sub Caracalla fuit *Οὔλπιος Ἰουλιανός, ὁ τότε τὰς τιμήσεις ἐγκεχειρισμένος*:[7]) sub Heligobalo saltator quidam censui senatorum equitumque praepositus.[8]) Interdum per consules recognitio facta traditur:[9]) sub Constantino senatorum census penes praefectum urbi, equitum penes praefectum Vigilum fuit.[10]) Etiam in hac mutata censurae ratione aliqua certe veteris severitatis species inerat. Homines probri pleni, corruptelis adul-

---

[1]) Coniunctam fuisse cum transvectione his temporibus, observavi p. 67. n. 19. De hac v. Ulpian Dig. 2, 4 de in ius vocat. et de Constantino Zosimum 2, 29 (anno 326) *Τῆς δὲ πατρίου καταλαβούσης ἑορτῆς, καθ' ἣν ἀνάγκη τὸ στρατόπεδον ἦν ἰέναι εἰς τὸ Καπετώλιον, ἄνοδον ὀνειδίζων ἀναίδην καὶ τῆς ἱερᾶς ἁγιστείας καταπατήσας, εἰς μῖσος τὴν γερουσίαν καὶ τὸν δῆμον ἀνέστησεν.* Ad eandem, ut videtur, transvectionem pertinet lib. 14 tit. 3 Cod. Theod. ad q. v. Gothofredum. Recognitionem equitum fecisse traduntur Caligula, (Suet. Cal. 16. Dio 59, 9) Claudius, (Suet. Cl. 16) Nero, (Dio 63, 13) Vespasianus, (Suet. Vesp. 9. de quo loco dixi hoc ipso libro c. 1 not. 33) Caracalla. (Dio 78, 4) Heliogabalus, (Herodian 5, 7) Alexander Severus. (Lampr. Al. Sev. 15).

[2]) Dio 52, 21.

[3]) Suet. Aug. 37. Tamen etiam veteris censurae sub imperatoribus et nomen et ritus aliquoties invenitur. V. Ph. a Turre Mon. Vet. Ant. p. 47. Eckhel. D. N. Vol. VI p. 242. 247. 313. 344. 353. 378.

[4]) Tac. Ann. 3, 30.

[5]) De Siciliae censoribus iam Cicero loquitur Verr. 2, 2, c. 53. Cetera v. ap. Ph. a Turre l. l. p. 46.

[6]) v. eundem c. 3 inpr. p. 44 sqq.

[7]) Dio 78, 4.

[8]) Herod. 5, 7. cf. Spart. Hadr. 105.

[9]) Schol. Persii 3, 9.

[10]) Cod. Theod. 15, 14, 3.

teriisque famosi, caelibes, orbi, egeni, etiamtum nonnunquam notam non effugerunt.[11]) Dionis tempore in equite equo p. et generis et virtutis et census ratio habebatur: et in sententiis Hadriani quidam, qui censum equestrem habebat, sed ante biennium praeteritus fuerat, quod iudicio damnatus, iussus erat civitate annum excedere, rogat Hadrianum, ut animadvertat, id sibi contigisse crimine per calumniam intentato opera servorum: ad quod Hadrianus: *ὅστις ἵππον αἰτεῖ δημόσιον, διωρθωμένος εἶναι ὀφείλει· τὰ δὲ λοιπὰ ζωῆς σὺ δοκιμάσεις.*[12]) Extremis denique temporibus apud praefectum Vigilum equites „de suis moribus et honestate perdocebant.“[13])

2. Animadvertendum autem illud inprimis est, dissoluto ordine ad has, quae solae restabant, reliquias equitum, rediisse nomen equestre, et post Hadrianum, ut fuerat ante Gracchos, ordinis nomine non publicanos, ceterorumque turbam, qui quadringenta possiderent, sed turmas equitum equo publico solas significari. Itaque nihil inde ab hoc tempore inter equitem Romanum et equitem Romanum equo publico interest, formulaeque, olim diversa indicantes, in equestrem dignitatem transferre,[14]) dignitatem equestrem dare,[15]) in ordinem equitum Romanorum adsciscere,[16]) dignitate equestri decorare,[17]) honorare,[18]) in equestrem locum redigere,[19]) ius equestris gradus consequi,[20]) *εἰς τὴν ἱππάδα κατατάσσειν,*[21]) *καταλέγειν,*[22]) *ἐγγράφειν ἐς τὸ τέλος τῶν ἱππέων,*[23]) *ἐν τοῖς ἱππεῦσιν ἐξετάζειν,*[24]) et equo publico exornare,[25]) honorare,[26]) equum publicum habere,[27]) inter se iam non differunt.[28]) Contra illa formula, ex qua olim imperator milites in concione anulo aureo ornavit,[29]) antiquata; cuius donatione cum hac aetate non id significaretur, esse aliquem equitem, sed fieri posse,[30]) unum autem superesset genus equitum: inde a Traiano omnes, quos aut ob militiam in equestrem locum redactos,[31]) aut ob equestrem dignitatem in municipiis honoratos magistratuum patronorumve titulis reperimus, equo publico exornati erant.[32]) Inde explicandum, quod, cum Gaius dicat Dig. 24, 1 de donat. int. vir. et ux. §. 24 „si uxor viro laticlavii petendi gratia

---

11) Suet. Claud. 16.
12) Dosithei Hadriani sentent. 6.
13) Cod. Theod. 2, 17.
14) Orelli n. 3049.
15) Tac. H. 4, 39.
16) Orelli n. 3048.
17) Tac. H. 2, 58.
18) Suet. Aug. 27.
19) Lampr. Al. Sev. 19.
20) Vell. 2, 118, 2.
21) Dio 47, 7. Herodian. 5, 7.
22) Dio 52, 19. 20. 53, 17.
23) Dio 48, 45.
24) Dio 54, 2.
25) Morcelli de st. Inscr. Vol. I p. 109. 155. Or. n. 3457 et saepe.
26) Grut. p. 404, 2. Fabr. p. 460 n. 88. Orell. n. 313. 1229.
27) Orell. n. 2676.
28) Vetus illa formula Censor equum assignat diu antiquata erat.
29) V. huius libri c. 1 not 8.
30) Dio 48, 45. cf. p. 91 n. 46.
31) Orell. inscr. 3049. 3048 saepius.
32) Orell. n. 3768. 3835. 3853. 3858. 3888. 3899. 3744. 3758. 3761. 3777. 3840. 3890. 3900. 3902. 4010 saepius.

donet, vel ut equestris ordinis fiat:" Ulpianus 7, 1 eandem legem ita conceperit: „Concessum est mulieri, in hoc donare viro suo, ut is ab imperatore lato clavo vel equo publico honoretur: inde etiam, quae Dositheus scripsit l. l.: *Δι' ἐπιστολιδίου αἰτοῦντός τινος, εἶναι αὐτῷ περιουσίαν ἱππικῆς ἀξίας, ἀλλ' ὅτε ἵππον δημόσιον ᾐτεῖτο, παραλελειμμένον αὐτὸν εἶναι·* quibus locis dignitas equestris ab honore equi publici non distinguitur. Idem tenendum in huius aevi scriptoribus. Nam Livius, quanquam et is nonnunquam ordinis nomine intelligit equitum turmas, [33]) tamen id facit scribens de rebus ante Gracchum, in quibus, quid ordo significaret, dubium non erat; nec fieri potuit, ut de hac re incerti essent, qui florente ordine viverent. [34]) Contra qui Hadriano posteriores sunt, Dio Cassius, Herodianus, historiaeque Augustae scriptores, quum de sua aetate agunt, ordinem intelligunt eum, qui tum solus fuit, equitum equo publico; quum, antiquas res persequentes, ab harum auctoribus commemoratum ordinem invenerunt, non diversum hunc ab eo, quem ipsi viderant, rati, eodem nomine repetunt; maximum vero negotium legentibus exhibent, quum minus diligenter auctores suos exscribunt, de ordine dicentes, ubi illi de equitibus eq. p. locuti erant, aut ordinis nomen negligentius praetermittentes. His locis, quae veterum traditio fuerit, difficillimum saepe inventu est. [35])

---

33) Liv. 9, 38. 21, 59, 9. inpr. 24, 18, 6. Valer. Max. 2, 9, 7. V. nos p. 14 sq. Ium. Gracchanum ap. Plin. 33, 9.

34) Hinc est, quod apud Iosephum *τάγμα ἱππικὸν* ordo equester sit, quod ap. Dionem semper significat corpus equitum eq. p. Cf. huius libri c. 1 not. 33.

35) Ut de Dione primum dicam, quum saepe distinguat *τοὺς ἱππέας τοὺς ἐς τὴν ἱππάδα ακριβῶς τελοῦντας, καὶ τοὺς ἐκ τοῦ βουλευτικοῦ γένους ὄντας·* (55, 2) *τοὺς ἐν τῇ ἱππάδι καὶ ἐν τῷ βουλευτικῷ·* (40, 57) *τοὺς πρώτους καὶ τῆς βουλῆς καὶ τῆς ἱππάδος·* (41, 7) *συχνοὺς καὶ ἐκ τῆς βουλῆς τῆς τε ἱππάδος·* (41, 55) *καταλέγειν καὶ ἐς τὴν ἱππάδα καὶ ἐς τὸ βουλευτικὸν·* (53, 17) *ἡ γερουσία καὶ ἡ ἱππάς·* (51, 4) nunquam tamen distinguit inter equitem R. et equitem R. equo publico. Quomodo utrosque confundat, unum afferam exemplum luculentissimum. Milites conscribebantur anno aetatis XVIII. Hanc militarem aetatem equites equo p. habuisse, per se apparet. Ii contra, quos census fecit equites, cum toga virili dignitatem equestrem sumpserunt. Atqui Maecenas ap. Dionem 52, 20. *Καταλέγεσθαι δὲ χρὴ ἐς μὲν τὴν ἱππάδα ὀκτωκαιδεκέτεις — ἐς δὲ τὸ συνέδριον πεντεκαιεικοσιέτεις.* In omnibus, quos initio laudavi, locis *ἱππάς* ordo equester est; h. l. aperte intelliguntur equites equo p. vel, ut rectius dicam, Dio de discrimine hoc non cogitavit. Eadem vox antiquo sensu ordinem eq. significat 47, 7. *ἐς τὴν ἱππάδα καταλέξαι* de Philopoemene: 48, 33. *ἄνδρες ἐς τὴν ἱππάδα τελοῦντες·* 54, 2. *οἱ ἐν τῇ ἱππάδι ἐξεταζόμενοι.* 54, 30. *ἐς τὴν ἱππάδα αὖθις ἐπανιέναι.* Contra turmas equitum significat fr. 23, 2, ubi de Tarquinio Superbo dicitur: 56, 43. 59, 11. *ἡ ἱππὰς ἑστιᾶται.* (V. p. 72. not. 62.) 79, 9. Etiam *τὸ τέλος τῶν ἱππέων, οἱ ἱππεῖς τοῦ τέλους, ἡ ἱππὰς τὸ τέλος,* quae proprie ordinem equestrem significant, (v. n. 34) ut *τὰ τέλη* fr. 23, 2 sunt uterque ordo, aperte de equitibus eq. p. intelligenda 56, 42. (v. p. 73. not. 75) 59, 9. quem locum explicui huius libri c. 1 not. 33) 59, 11. 63, 13. (cf. p. 67. not. 19) 74, 5. Contra in historia belli civilis 48, 45 de Maena: *δακτυλίοις τε χρυσοῖς ἐκόσμησε, καὶ ἐς τὸ τῶν ἱππέων τέλος ἐσέγραψε·* i. e. in ordinem equestrem. 42, 51, ubi errat Sturzius, interpretans equites militantes. 55, 7. (Maecenas) *τῷ τῶν ἱππέων τέλει κατεβίω.* 61, 9. *ἱππεῖς ἐκ τοῦ τέλους τριάκοντα ἐμονομάχησαν.* Similiter 49, 12 *οἱ ἱππεύοντες ἢ καὶ βουλεύοντες* sunt viri ordinis vel equestris vel senatorii. cf. 60, 7. contra diverso sensu de Macrino, 78, 14. cf. 48, 45, de quo l. v. huius libri c. 1 n. 46. De alio loco 52, 19 paullo infra dicetur. Suetonius, apud quem ordo equester septies decies legitur, plerumque antiquo sensu equites censu intelligere videtur. Sic aperte Caes. 41. Oct. 2. 63. Tib. 51. Calig. 15. 30. 49. 53. Neron. 20. Galba 10. Vitell. 12. Tit. 8 Contra Octav. 100: (Corpus Augusti) a Bovillis. equester ordo suscepit. (v. p. 73.) Calig. 17 dedit epulum equestri ordini (v. p. 72. not 61) Claud. 6: Equester ordo bis patronum eum perferendae pro se legationis elegit (v. p. 72 not. 68.) si accurate interpretari volueris, intelligendi erunt equites equo p. Sed quoniam hi, quaecunque agunt, non suo tantum nomine, sed pro universo ordine faciunt (v. p. 70.) quapropter in pecuniae collationibus universum ordinem commemoratum invenimus (v. p. 72.

3. Qualis hoc tempore turmarum descriptio fuerit, ignoratur: tamen veterem illam legem, ne quis aut minor XVIII aut maior XLV annis in iis esset, abolitam, praeterque eos, qui in transvectione aderant, et iuniores spem eius dignitatis accepisse, et seniores titulum retinuisse, ex inscriptionibus intelligitur. Nam quod accidisse extremo liberae reipublicae tempore animadvertimus, ut et senatoria [36]) dignitas et equestris [37]) hereditario quodam iure ad filios a patre perveniret, id sub imperatoribus usu receptum est. Senatum frequentabant pueri iuvenesque nondum senatoria aetate: [38]) in municipiorum curias admissi praetextati: [39]) etiam equester honor impuberibus datus est. Commemoratur in inscriptionibus C. Velleius, honoratus equo publico ab imperatore Antonino, cum ageret aetatis annum V: [40]) Ulpius, puer VIII annorum, equo publico honoratus. [41]) Huc etiam C. et L. Caesarum exemplum pertinet, qui nondum posita puerili praetexta in turmas equitum recepti sunt, Caligulae, Neronis,[42]) M. Antonini phil., cui Hadrianus sexenni honorem equi publici detulit. [43]) In turmas autem ipsas receptos esse non anno, ut antea factum, duodevigesimo, sed statim post togam sumptam, inscr. docet ap. Orell. n. 3052.[44]) Hinc explicatur etiam Gai. 1, 20 et Ulp. 1, 30: „Consilium adhibetur in urbe Roma quidem V senatorum et V equitum Romanorum puberum“. Receptis autem his, quos dixi, omnibusque iis, qui olim ob militiam non equo, sed anulo honorati sunt, apparet numerum equitum eq. p. multo maiorem, quam Augusti aetate, fuisse; idque testatur Dio 52, 19, apud quem Maecenas, Augusto ea commendans, quae Dionis tempore in consuetudinem venerant, postquam de senatorum lectione dixit, *τά δὲ αὐτὰ*, inquit, *καὶ ἐπὶ τῶν ἱππέων ποίησον. τοὺς γάρ τὰ δευτερεῖα ἑκασταχόθι καὶ γένει καὶ ἀρετῇ καὶ πλούτῳ φερομένους ἐς τὴν ἱππάδα κατάλεξον· τοσούτους ἑκατέρους ἀντεγγράψας, ὁπόσοι ποτ᾽ ἂν ἀρέσωσί σε, μηδὲν περὶ τοῦ πλήθους ἀκριβολογούμενος.* [45])

---

p. 69) etiam hos locos eodem, quo ceteros sensu explicare licebit. Apud Herodian. 4, 2. 5, 7. *τάγμα ἱππικὸν* turmae sunt equitum, eodemque sensu ordinem habet, ut unum ex scriptoribus h. Aug. exemplum afferam, Trebell. Pollio Gallien. d. 8.

36) p. 27. 77. cf. Brisson. opp. min. ad Trekell. p. 344 sq. Heinecc. ad. l. Iul. et Pap. Popp. p. 107 sqq.

37) p. 60 n. 30. 31.

38) p. 77.

39) Hoc iam per Verrem in Siciliae civitatibus factum queritur Cic. Verr. 2, 2, 49. 50. Plura v. ap. Fr. Roth de re municip. p. 68. 70. Savigny G. d. R. R. im M. 1, p. 70. Orell. Inscr. n. 3745 seqq. Marini Atti 1. p. 93 not. 46.

40) Orell. n. 3053.

41) Morcelli de st. Inscr. 1, p. 153.

42) Noris. C. P. 2, 3 Opp. ed. Veron. 1729 Vol. III p. 172.

43) Capitol. M. Ant. ph. 4.

44) DIIS MANIBVS SEX. GAVII. SEX. F. VIX AN. XVI EQVO PVBLICO TRANSVECTVS EST.

45) Quum enim hoc loco non auctorem quendam veterem sequatur, sed sui temporis instituta exponat, *ἱππεύς* esse non potest ordo equester, sed turmae equitum. Idque confirmant, quae de numero, (nam equites censu nullo numero continebantur) de genere et virtute addit.

Cap. IV.
Extrema equitum fata.

Constiterat igitur initio nomen equitum in centuriis duodeviginti: republica libera, equestri ordine orto, complexum erat publicanos, iudices, tum multos, qui merebant in exercitibus, negotiabantur in provinciis, in municipiis habitabant: hi orbem multitudine sua tanquam inundaverant: publicani, aratores, pecuarii, negotiatores in provinciis innumerabiles erant: sine his negotium nullum gestum, sine horum tabulis nummus nullus commotus est. Sub imperatoribus paullatim ordo in urbem se recepit: extremis temporibus ex indigenis tantum Romanis, iisve, qui Romae sedem haberent, supplebatur. [1]) Sed ne in urbe quidem iam potuit tueri eum locum, quem tamdiu in civitate tenuerat. In constitutione quadam Constantini M. anni 321 [2]) post senatores proximi et ante equites Perfectissimi commemorantur, et sub maiore iudice Romae collocantur: [3]) per Constantinum dignitas equestris cum naviculariis communicata est.[4]) Exstat quidem alia constitutio Valentiniani et Valentis, anno 364 data, [5]) qua tribus rationibus antiquum honorem ordini restituere ita student, ut secundi denuo dignitatem gradus equitibus tribuant; ordinem suppleri iubeant ex indigenis Romanis et civibus, iisque peregrinis (i. e. non indigenis urbis Romae), qui corporatis urbis Romae adnecti non debeant: postremo triplex privilegium ei concedant, libertatem ab iniuriis corporalibus, i. e. a quaestione et tormentis, immunitatem a prosecutionum formidine, immunitatem a senatoriis indictionibus.[6]) Neque tamen scimus, qui eius constitutionis fuerit effectus: equitum splendor evanuerat, nomen exstinctum erat. In corpore Iustinianeo obscura tantum eorum memoria exstat: duo ordines, ut prima, sic extrema reipublicae aetate fuerunt. [7])

---

1) V. Valentiniani et Valentis const. not. 5.

2) Cod. Theod. 2, 17.

3) Iudex senatorum praefectus Urbi est; Perfectissimorum Vicarius Praefecti, equitum Praefectus Vigilum.

4) Haec lex a. 380 a Gratiano confirmata est. Cod. Theod. 13, 5, 16. Navicularii haud dubie tantum lucri fecerant, ut censum equestrem haberent, ut habuisse videntur Lugduni negotiatores vinarii, qui in inscr. ap. Orell. n. 4020 equitibus aequantur. De Naviculariis v. Burm. de vect. p. 144. Casaub. ad Suet. Oct. 98. Barth. ad Stat. Sylv. 3, 2, 21.

5) Cod. Theod. 6, 36 de equestri dignitate. „Equites Romani, quos secundi gradus in urbe omnium obtinere volumus dignitatem, ex indigenis Romanis et civibus elegantur, vel his peregrinis, quos corporatis non oportet adnecti.“ de qua const. v. Gothofr. Vol. II p. 247.

6) ex. c. si quid ex SCto donandum erat principi.

7) In Cod. Iust. 12, 32 Valentiniani constitutio in brevius contracta sic repetitur: „Equites Romanos secundum gradum post clarissimatus dignitatem obtinere iubemus.“ Cod. 5, 4. de nuptiis l. 10 in lege Impp. Dioclet. et Maxim.: „Cum te non ex senatore patre procreatam, sed ob matrimonium cum senatore contractum clarissimae feminae nomen adeptam dicas, claritas, quae beneficio mariti tibi parata est, si secundi ordinis virum postea sortita es, redacta ad prioris dignitatis statum deposita est.“ Sed in lege Constantini ex anno 336 in Codice Iust. 5, 26, 1 plane omissus est ordo equester; cf. Inst. 1, 2 de iure n. g. et civ. §. 4. „Plebis appellatione sine patriciis et senatoribus ceteri cives significantur.“ Ultimam equitum Romanorum mentionem fieri in rebus Arnoldi Brixiensis, qui in restituenda republica vetere etiam de equestri ordine cogitavit, Eybenius animadvertit. Otto Frising. de gestis Friderici I, 27. „His diebus Arnoldus quidam — ex ecclesiastici honoris invidia urbem Romam ingreditur, ac senatoriam dignitatem equestremque ordinem renovare ad instar antiquorum volens — et q. s. Guntherus Ligur. 3 de eodem:

Quin etiam titulos verbis renovare vetustos
Patricios recreare viros, priscosque Quirites
Nomine plebeio secernere nomen equestre.

CORRIGENDA. Pag. 11 lin. 21 lege transscripti: quod — p. 24 not. 14 l. 1 inter alia — p. 28 l. 8 distinguebantur — ib. l. 13 quales — p. 29 l. 15 Secutae — p. 32 n. 59 l. 2 interierint — p. 38 l. 15 etiam in indicibus — ib. n. 7 extr. nemini — p. 44 l. 13 ortum — p. 48 n. 76 l. 6 dixit — p. 56 n. 53 93—99 — p. 59 l. 21 irrepserant — p. 61 l. 6 secundo — p. 75 l. 2 ad equites — p. 86 n. 1 l. 5 Tr. ad Rh. — p. 89 l. 7 viventes — p. 93 l. 6 leges datas.

Schulnachrichten.

A. Allgemeine Lehrverfassung.

I. PRIMA.

Ordinarius: Der Director.

Lateln. 10 St. Horaz. Od. I. II. Sat. I. II. Plauti captivi. 3 St. Prof. Herbst. Tacit. Ann. Lib. I. II. III. Cic. de Orat. Lib. II. 4 St. Grammat. u. stylist. Uebungen. 3 St. Prof. Pflugk. Seit Neujahr Dr. Marquardt.

Griechisch. 6 St. Demosth. Philipp. II. III. de reb. Chers. pro coron. Platonis Protagoras. Gorgias. Homeri Il. XIII.—XVIII. (cursorisch) in 4 regelmässigen u. einer grossen Anzahl ausserord. St. Der Director. Sophoclis Ajax u. Euripid. Iphig. in Taur. (z. Theil.) 2 St. Prof. Pflugk. (bis Decemb. 1839.)

Deutsch. 3 St. 1 Stunde Geschichte der deutschen Literatur vom Anfange bis zum Jahre 1650. 1 Stunde wurde benutzt zum Durchgehen der schriftlichen Aufsätze, und zu Vorträgen der Schüler. In einer Stunde wurde im Winter-Semester die Logik vorgetragen, im Sommer in dieser Stunde das Nibelungen Lied in der Ursprache gelesen und erklärt. Oberl. Czwalina.

Französisch. 2 St. Gelesen in Menzel's Handb. die Abschnitte v. Napoleon, Las Cases, Pradt u. a.: Racine's Athalie zum Theil. — Exercitt. und Extempp., mitunter mündlich. Dr. Brandstäter.

Hebräisch. 2 St. Lehre vom Nomen. Repetition des regelm. u. unregelm. Verb. Gelesen Genesis, Exodus und ausgewählte Psalmen. 2 St. Dr. Hintz.

Religion. 2. St. Erklärung des 1sten Corintherbriefs. Wiederholende Uebersicht der Einleitung in die biblischen Bücher und der christlichen Kirchengeschichte nach Spiekers Lehrbuche. Prediger Höpfner.

Mathematik. 4 St. Gleichungen des dritten und vierten Grades mit vielen Uebungsbeispielen. Wiederholung der Trigonometrie durch Auflösung zus. gesetzt. Aufg., ebenso der Stereometrie. Neuere Geometrie nach Steiner u. Poncelet. Prof. Anger.

Physik. 2 St. Die Lehre von der Wärme. Wiederholung der Statik u. Mechanik fester Körper. Hydrostatik. Hydraulik. Prof. Anger.

Geschichte. 3 St. Neuere Geschichte von 1660 bis auf die neuesten Zeiten. Prof. Hirsch.

Anordnung der Prüfung am 14. April 1840.

Vormittags von 8 Uhr ab.

Choral.

UNTER-TERTIA. Mathematik. Oberlehrer Czwalina.
Geographie. Professor Hirsch.
OBER-TERTIA. Religion. Prediger Höpfner.
Griechisch. Oberlehrer Marquardt.
SECUNDA. Latein. Professor Herbst.
Geschichte. Professor Hirsch.
PRIMA. Mathematik. Professor Anger.
Griechisch (Plato). Der Director.
Latein (Horaz). Professor Herbst.

Entlassung der Abiturienten.

Schlussgesang.

Würdig ist das Lamm, aus dem Messias von Händel.

Nachmittags von 3 Uhr ab.

Chor.

Von Dir, o Ewiger, von Schulz.

SEPTIMA oder Elementarclasse. Lesen. Rechnen. Elementarlehrer Wilde.
SEXTA. Latein. Oberlehrer Skusa.
Naturgeschichte. Derselbe.
QUINTA. Latein. Dr. Hintz.
Geographie. Derselbe.
QUARTA. Geschichte. Professor Hirsch.
Mathematik. Oberlehrer Czwalina.

Schlussgesang.

Hallelujah, aus dem Messias von Händel.

Mittwoch, den 15. April Censur und Translocation. Schluss des Schuljahrs. Das neue beginnt Montag den 27. April. Zur Prüfung und Aufnahme neuer Schüler bin ich von Mittwoch d. 22. April ab täglich von 9 — 12 Uhr in meinem Geschäftszimmer im Gymnasium anzutreffen.

ENGELHARDT, Director.